UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 01521031 3

Frommelt, F
Regulae iuris

K
435
F76
1880
c.1
ROBA



Presented to the Library

of the

University of Toronto

by the Executors of

The Honourable William Proudfoot

sometime Justice of the High Court of Justice
for Ontario,

Professor of Roman Law

in the

University of Toronto

A. D. 1888-1900.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/regulaeiuris00from

Loan
Rom
F932

REGULAE IURIS.

CONGESSIT

F. FROMMELT.

EDITIO SECUNDA.

6176
5 | 3 | 04

LIPSIAE.
WEISS & NEUMEISTER.
MDCCCLXXX.

K
435
F.76
1880

In fontibus iuris Romani permultae regulae iuris insunt, quae insignes brevitate subtiliter ac significanter ipsam naturam doctrinae intimae comprehendunt; a recentioribus quoque scriptoribus et usu similes formulae compositae sunt. Quae formulae etiam nostris temporibus cum in ipsa iuris disciplina tum in omnibus rebus, quae ad rem publicam pertinent, verbis et litteris adhibentur, ac maxime quidem in actis (diurnis) scribendis frequentem in usum venerunt. Attamen in fontibus dispersae et in libris, qui sunt de iuris Romani disciplina, haud multae allatae adhuc iis, quorum id maxime interest, non in promptu fuerunt. Itaque earum formularum, quae dignissimae mihi visae sunt, patefacere aditum et usum promptiorem reddere conatus hoc opusculum composui, quod haudquaquam nomen enchiridii disciplinae iuris Romani sibi vindicat. Enchiridion enim iis iuris regulis, quae exstant, componi non potest propterea, quod breves subtilesque formulae, (quorum proprie in hac re ratio habenda est) quod

attinet ad multas iuris doctrinas, vel nullae reperiuntur, vel non satis multae eaeque non totam materiam complectentes. Immo vero hic libellus supplementum rationis iuris Romani vel communis et repetitorium esse vult. Eum ordinem, in quem formulas redegi, usui aptissimum omnium esse putavi; commentarium autem, quo addito fore, ut e libello liber fiat, necesse est, omittendum esse putavi, praesertim cum plurimae formulae iuris commentarium vel non desiderent, vel expositae inveniantur in enchiridiis, in quibus huius potissimum generis formulae explicari solent. In locis asterisco (*) designatis a verbis auctoris recessi eaque paulo mutata reddidi: indicativum pro infinitivo posui et quae sunt generis eiusmodi cetera.

Haud ignoro augeri supplerique posse haec collectanea et gratissime omnia, quaecunque ad hanc rem spectant accipiam.

Velim hanc editionem huius opusculi quam multis viris doctis ac maxime quidem iis, qui in iuris disciplinae studiis versantur, acceptam utilemque esse futuram.

Absentia.

Absentem accipere debemus eum, qui non est eo loci, in quo loco petitur. ULPIANUS: *l.* 199 *pr. D. de V. S.* 50, 16.

Qui extra continentia urbis est, abest. ULPIANUS: *l.* 173 *§* 1 *D. de V. S.* 50, 16.

Absens absentis curator esse nequit.

Quotiescunque quis ex necessitate, non ex voluntate abfuit, dici oportet ei subveniendum. ULPIANUS: *l.* 26 *§* 9 *D. ex quib. caus. major.* 4, 6.

Absentia ejus, qui reipublicae causa abest, neque ei neque alii damnosa esse debet. ULPIANUS: *l.* 140 *D. de R. J.* 50, 17.

Acceptilatio.

Acceptilatio est liberatio per mutuam interrogationem, qua utriusque contingit ab eodem nexu absolutio. MODESTINUS: *l.* 1 *D. de acceptil.* 46, 4.

Acceptilatio est imaginaria solutio. *§* 1 *J. quib. mod. toll. oblig.* 3, 30.

In diem acceptilatio facta nullius est momenti: nam solutionis exemplo acceptilatio solet liberare. ULPIANUS: *l.* 5 *D. de acceptil.* 46, 4.

Acceptilatio sub conditione fieri non potest. POMPONIUS: *l.* 4 *D. de acceptil.* 46, 4.

Accusatio.

Qui accusare volunt, probationes habere debent. *L.* 4 *C. de edendo* 2, 1.

Invitus agere vel accusare nemo cogatur. *S. un. C. ut nemo invitus* 3, 7.

Actio.

Actio nihil aliud est quam ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur. *pr. J. de action.* 4, 6.

Minus est actionem habere quam rem. POMPONIUS: *l.* 124 *D. de R. J.* 50, 17.

Agendo nemo causam suam facit deteriorem.

Is, qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur. PAULUS: *l.* 15 *D. de R. J.* 50, 17.

Actio nulla est contra eum, cum quo nihil negotii gestum.

Alterius circumventio alii non praebet actionem. ULPIANUS: *l.* 49 *D. de R. J.* 50, 17.

Nemo de improbitate sua consequitur actionem. ULPIANUS: *l.* 12 *§* 1 *D. de furtis* 47, 2.

Is nullam videtur actionem habere, cui propter inopiam adversarii inanis actio est. GAIUS: *l.* 6 *D. de dolo malo* 4, 3.

Tunc incipit actio, cum ea per rerum naturam praestari potest. PAULUS: *l.* 73 *pr. D. de V. O.* 45, 1.

Actionis verbo non continetur exceptio. PAULUS: *l.* 8 *D. de V. S.* 50, 16.

Quae ad agendum sunt temporalia, ad excipiendum sunt perpetua.

Actioni nondum natae non praescribitur.

Agere non valenti non currit praescriptio.

Omnes actiones, quae morte aut tempore pereunt, semel inclusae iudicio salvae permanent. GAIUS: *l.* 139 *pr. D. de R. J.* 50, 17.

Actiones transeunt ad heredes et in heredes.

Actiones heredi et in heredem competunt.

Actio semel extincta non reviviscit.

Remittentibus actiones suas non est regressus dandus. ULPIANUS: *l.* 14 *§* 9 *D. de aedil. edicto* 21, 1.

Qui destiterit agere, amplius et accusare prohibetur. PAULUS: *l.* 2 *D. ad Sctum Turp.* 48, 16.

Destitisse autem is videtur, non qui distulit, sed qui liti renunciavit in totum. ULPIANUS: *l.* 21 *D. de minor.* 4, 4.

Destitisse eum accipiemus, qui in totum animum agendi deposuit, non qui distulit accusationem. PAULUS: *l.* 13 *pr. D. ad Sctum Turp.* 48, 16.

Actiones directae sunt, quae nascuntur ex ipsis legum verbis.

Quod contraria actione consequi quis potest, id etiam directa actione conventus per exceptionem urgere potest.

Actio utilis est, quae ex mente legis ob aequitatem ad alios casus extenditur.

Actor. Reus.

Actor rei forum sequitur. *L.* 3 *C. ubi in rem actio* 3, 19.

Ubi domicilium reus habet vel tempore contractus habuit, licet hoc postea transtulerit, ibi tantum eum conveniri oportet. *L.* 2 *C. de jurisdict.* 3, 13.

Non debet actori licere. quod reo non permittitur.
ULPIANUS: *l.* 42 *pr. D. de R. J.* 50. 17.

Favorabiliores rei potius quam actores habentur.
GAIUS: *l.* 125 *D. de R. J.* 50. 17.

Cum sunt partium iura obscura. reo favendum est potius quam actori. *c.* 11 *de R. J. in 6to* 5. 12.

Agens sine actione a limine iudicii repellitur.

Actore enim non probante. qui convenitur. etsi nihil ipse praestat. obtinebit. *L.* 4 *C. de edendo* 2. 1.

Semper necessitas probandi incumbit illi. qui agit.
MARCIANUS: *l.* 21 *D. de probat.* 22. 3.

Ei incumbit probatio. qui dicit. non qui negat.
PAULUS: *l.* 2 *D. de probat.* 22. 3.

Affirmanti incumbit probatio.

Nullo actore nullus iudex.

Cessante interesse agens non auditur.

Agere etiam is videtur. qui exceptione utitur: nam reus in exceptione actor est. ULPIANUS: *l.* 1 *D. de excepl.* 44. 1.

Reus excipiendo fit actor.

In duobus reis par utriusque causa est.

Quod reus iuravit. etiam fideiussori proficit.
PAULUS: *l.* 28 *§* 1 *D. de jurej.* 12. 2.

Mora rei fideiussori quoque nocet. PAULUS: *l.* 88 *D. de V. O.* 45. 1.

Cum reus moram fecit. et fideiussor tenetur.
PAULUS: *l.* 24 *§* 1 *D. de usuris* 22. 1.

Adoptio.

Adoptio est legitimus actus. naturam imitans. quo liberos nobis quaerimus.

Adoptio in his personis locum habet, in quibus etiam natura potest habere. IAVOLENUS: *l.* 16 *D. de adopt.* 1, 7.

Adoptio naturam imitatur et pro monstro est, ut major [annis] sit filius quam pater. *§* 4 *J. de adopt.* 1, 11.

Neque adoptare neque arrogare quis potest absens nec per alium eiusmodi solennitatem peragere potest. ULPIANUS: *l.* 25 *§* 1 *D. de adopt.* 1, 7.

Spadones adoptare possunt, castrati autem non possunt. *§* 9 *J. de adopt.* 1, 11.

Non debet quis plures adoptare nisi ex iusta causa.

Tam filium alienum quis in locum nepotis adoptare potest quam nepotem in locum filii. *§* 6 *J. de adopt.* 1, 11.

Adoptio non ius sanguinis, sed ius agnationis affert. PAULUS: *l.* 23 *D. de adopt.* 1, 7.

Arrogatus cum capite fortunas quoque suas in familiam et domum alienam transfert. PAPINIANUS: *l.* 11 *§* 2 *D. de bon. poss.* 37, 11.

Ex adoptivo natus adoptivi locum obtinet. IULIANUS: *l.* 27 *D. de adopt.* 1, 7.

Adoptantur filiifamilias; arrogantur, qui sui iuris sunt. MODESTINUS: *l.* 1 *D. de adopt.* 1, 7.

Adventitium.

Adventitium est, quod aliunde advenit quam a patre vel domino.

Aedificium.

Omne, quod inaedificatur, solo cedit. GAIUS: *l.* 7. *§* 10 *D. de acqu. rer. dom.* 41, 1.

Ius soli sequitur aedificium. PAULUS: *l.* 21 *D. de pignor. act.* 13, 7.

Aedificia solo cohaerent. VENULEIUS: *l.* 10 *D. quod vi* 43, 24.

Solo cedere solent ea, quae aedificantur aut seruntur. GAIUS: *l.* 9 *§* 1 *D. de acqu. rer. dom.* 41, 1.

Quod in litore quis aedificaverit, eius erit. NERATIUS: *l.* 14 *pr. D. de acqu. rer. dom.* 41, 1.

Qui autem in ripa fluminis aedificat, non suum facit. NERATIUS: *l.* 15 *D. de acqu. rer. dom.* 41, 1.

Ea, quae perpetui usus causa in aedificiis sunt, aedificii sunt, quae vero ad praesens, non sunt aedificii. ULPIANUS: *l.* 17 *§* 7 *D. de act. vend.* 19, 1.

Aequitas.

Aequitas est, quae de iure multum remittit. DONATUS *in Ter. Ad.* 1, 1.

In omnibus quidem, maxime tamen in iure, aequitas spectanda sit. PAULUS: *l.* 90 *D. de R. J.* 50, 17.

Ubi aequitas evidens poscit, subveniendum est. MARCELLUS: *l.* 183 *D. de R. J.* 50, 17.

Aequitas praefertur rigori.

Aes alienum.

Aes alienum est, quod nos aliis debemus; aes suum, quod alii nobis debent. ULPIANUS: *l.* 213 *§* 1 *D. de V. S.* 50, 16.

Incendium aere alieno non exuit debitorem.
L. 11 *C. si certum pet.* 4, 2.

Aestimatio.

Infinita aestimatio est libertatis et necessitudinis.
PAULUS: *l.* 176 *§* 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Liberum corpus aestimationem non recipit. GAIUS:
l. 3 *D. si quadr. paup.* 9, 1.

In homine libero nulla corporis aestimatio fieri potest. ULPIANUS: *l.* 1 *§* 5 *D. de his, qui effud.* 9, 3.

Res sacra non recipit aestimationem. ULPIANUS:
l. 9 *§* 5 *D. de divis. rer.* 1, 8.

Si post moram rem interierit, aestimatio ejus praestatur. ULPIANUS: *l.* 39 *§* 1 *D. de legatis I.*

Aestimatio periculum facit eius, qui suscepit.
ULPIANUS: *l.* 1 *§* 1 *D. de aestimatoria* 19, 3.

Aetas.

Non sit aetatis excusatio adversus praecepta legum ei, qui, dum leges invocat, contra eas committit.
TRYPHONINUS: *l.* 37 *D. de minor.* 4, 4.

Malitia supplet aetatem.

Affinitas.

Affinitas est civile vinculum ex nuptiis sponsalibusve descendens.

Affines sunt viri et uxoris cognati. MODESTINUS:
l. 4 *§* 3 *D. de grad.* 38. 10.

Inter consanguineos viri et uxoris nulla affinitas contrahitur.

Gradus affinitati nulli sunt. MODESTINUS: *l.* 4 *§* 5 *D. de grad.* 38, 10.

Affinitatis iure nulla successio permittitur. *L.* 7 *C. communia de success.* 6, 59.

Agnatio.

Agnati sunt a patre cognati virilis sexus per virilem sexum descendentes eiusdem familiae. ULPIANUS *Fragm. t.* 11 *§* 4.

Sunt autem agnati cognati per virilis sexus cognationem coniuncti quasi a patre cognati. *§* 1 *J. de legit. agnat. tut.* 1, 15.

Alienatio.

Est autem alienatio omnis actus, per quem dominium transfertur. *L.* 1 *C. de fundo dot.* 5. 23.

Alienatio est rei suae iurisque sui in alium translatio. SENECA: *Benef.* 5. 10.

Alienationis verbum etiam usucapionem continet. PAULUS: *l.* 28 *pr. D. de V. S.* 50, 16.

Videtur rem alienare. qui eam patitur usucapi. PAULUS: *l.* 28 *pr. D. de V. S.* 50, 16.

Eum quoque alienare dicitur, qui non utendo amittit servitutes. PAULUS: *l.* 28 *pr. D. de V. S.* 50, 16.

Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest. POMPONIUS: *l.* 11 *D. de R. J.* 50, 17.

Qui potest invitis alienare. multo magis et igno-

rantibus et absentibus potest. ULPIANUS: *l.* 26 *D. de R. J.* 50, 17.

Cum quis possit alienare, poterit et consentire alienationi. ULPIANUS: *l.* 165 *pr. D. de R. J.* 50, 17.

Alter. Alius. Tertius.

De suo enim, non de alieno iure agere quemque oportet. ULPIANUS: *l.* 5 *pr. D. si ususfr. pet.* 7, 6.

Culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti. POMPONIUS: *l.* 36 *D. de R. J.* 50, 17.

Iusiurandum alteri neque prodest neque nocet. ULPIANUS: *l.* 3 § 3 *D. de jurej.* 12, 3.

Res inter alios iudicatae nullum aliis praeiudicium faciunt. ULPIANUS: *l.* 1 *D. de except. rei jud.* 44, 2.

Res inter alios iudicatae alii non praeiudicant. ULPIANUS: *l.* 7 § 2 *D. de accus.* 48, 2.

Nec inter alios res iudicata alii prodesse aut nocere solet. PAULUS: *l.* 16 *D. qui potiores* 20, 4.

Factum cuique suum, non adversario nocere debet. PAULUS: *l.* 135 *pr. D. de R. J.* 50, 17.

Alieno facto ius alterius non mutatur.

Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. PAPINIANUS: *l.* 74 *D. de R. J.* 50, 17.

Alienus dolus nocere alteri non debet. NERATIUS: *l.* 11 *pr. D. de doli mali exc.* 44, 4.

Alterius circumventio alii non praebet actionem. ULPIANUS: *l.* 49 *D. de R. J.* 50, 17.

Actio per alium non acquiritur.

Nemo debet lucrari ex alieno damno. GAIUS: *l.* 28 *D. de dolo malo* 4, 3.

Iure naturae aequum est neminem cum alterius detrimento et iniuria fieri locupletiorem. POMPONIUS: *l.* 206 *D. de R. J.* 50, 17.

Natura aequum est neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem. POMPONIUS: *l.* 14 *D. de condict. indeb.* 12, 6.

Iniquissimum videtur cuique scientiam alterius quam suam nocere vel ignorantiam alterius alii profuturam. TERENTIUS CLEMENS: *l.* 5 *D. de j. et f. ignor.* 22, 6.

Non debet alterius collusione aut inertia alterius [ius] corrumpi. GAIUS: *l.* 9 *pr. D. de liber. causa* 40, 12.

Alterius aut negligentia aut cupiditas huic, qui diligens fuit, nocere non debet. * PAULUS: *l.* 6 *§* 2 *D. de rebus auctor.* 42, 5.

In alterius praemium verti alienum metum non oportet. ULPIANUS: *l.* 14 § 9 *D. quod metus c.* 4, 2.

Non debet aliquis alterius odio praegravari. *c.* 22 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Cedendo extraneo nihil agitur. *§* 3 *J. de usu fr.* 2, 4.

Certissimum est ex alterius contractu neminem obligari. *L.* 3 *C. ne uxor pro mar.* 4, 12.

Nec paciscendo nec legem dicendo nec stipulando quisquam alteri cavere potest. SCAEVOLA: *l.* 73 *§* 4 *D. de R. J.* 50, 17.

Nemo alienum factum promittendo obligatur.

Factum alienum inutiliter promittitur.

HERMOGENIANUS: *l.* 65 *D. de fidejuss.* 46, 1.

Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. *c.* 68 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Videtur enim gessisse, qui per alium gessit.
ULPIANUS: *l.* 5 *§* 3 *D. de administr. tut.* 26, 7.

Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per ipsum. *c.* 72 *de R. J. in* 6*to* 5. 12.

Aliena negotia exacto officio geruntur, nec quidquam in eorum administratione neglectum ad declinatum culpa vacuum est. *L.* 21 *C. mandati* 4, 35.

Alienum negotium ratihabitione fit meum.

Suo potius quam alieno nomine quilibet gessisse censetur.

In omnibus causis pro facto accipitur id, in quo per alium mora fit, quominus fiat. POMPONIUS: *l.* 39 *D. de R. J.* 50, 17.

Per alium rem alienam invito domino pignori obligari non posse certissimum est. *L.* 6 *C. si al. res pign.* 8, 16.

Nemo alienae rei expromissor idoneus videtur, nisi cum satisdatione. PAULUS: *l.* 110 *D. de R. J.* 50, 17.

Alteri subvenire cum detrimento alterius nulli licet.

Aliena concupiscere nemo debet.

Nemo plus iuris ad alium transferre potest quam ipse habet. ULPIANUS: *l.* 54 *D. de R. J.* 50. 17.

Quod quisque iuris in alterum statuit, eodem et ipse uti debet. *Ex tit.* 2 *libri II Dig.*

Adversus extraneos vitiosa possessio prodesse solet. VENULEIUS: *l.* 53 *D. de acqu. vel am. poss.* 41, 2.

Alternativum.

In alternativis .... sufficit alterutrum adimpleri. *c.* 70 *de R. J. in* 6*to* 5, 12.

Ubi verba coniuncta non sunt, sufficit alterutrum esse factum. PAULUS: *l.* 110 *§* 3 *D. de R. J.* 50, 17.

Ambiguum. Dubium. Obscurum.

Commodissimum est in ambiguis id accipi, quo res, de qua agitur, magis valeat quam pereat. IULIANUS: *l.* 12 *D. de rebus dubiis* 34, 5.

Quoties in stipulationibus ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quo res, de qua agitur, in tuto sit. ULPIANUS: *l.* 80 *D. de V. O.* 45, 1.

Ambigua .... intentio ita accipienda est, ut res salva actori sit. PAULUS: *l.* 172 *§* 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimum excipiatur, quae rei gerendae aptior est. IULIANUS: *l.* 67 *D. de R. J.* 50, 17.

Ubi est verborum ambiguitas, valet, quod acti est. PAULUS: *l.* 21 *D. de rebus dubiis* 34, 5.

In obscuris inspici solet, quod verisimilius est aut quod plerumque fieri solet. PAULUS: *l.* 114 *D. de R. J.* 50, 17 *(cf. c.* 45 *de R. J. in 6to* 5, 12*)*.

Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur. ULPIANUS: *l.* 9 *D. de R. J.* 50, 17.

Semper in dubiis benigniora praeferenda sunt. GAIUS: *l.* 56 *D. de R. J.* 50, 17.

In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus iustius est quam tutius. MARCELLUS: *l.* 192 *§* 1 *D. de R. J.* 50, 17.

In dubio semper id, quod minus est, debetur.

Quoties dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem respondendum erit. POMPONIUS: *l.* 20 *D. de R. J.* 50. 17.

In obscuro libertas praevalet. MARCIANUS: *l.* 50 *D. de fideicomm. libert.* 40, 5.

In dubio pro possessore.

In ambiguis pro dotibus respondere melius est. PAULUS: *l.* 85 *pr. D. de R. J.* 50. 17.

Quod factum est, cum in obscuro sit. ex affectione cuiusque capit interpretationem. PAULUS: *l.* 168 *§* 1 *D. de R. J.* 50, 17.

In ambiguis orationibus maxime sententia spectanda est eius. qui eas protulisset. MARCIANUS: *l.* 96 *D. de R. J.* 50. 17.

Si quis intentione ambigua vel oratione usus sit, id, quod utilius ei est, accipiendum est. ULPIANUS: *l.* 66 *D. de judiciis* 5, 1.

Interpretatio est contra eum facienda, qui clarius loqui debuisset.

Cum quaeritur in stipulatione, quid acti sit. ambiguitas contra stipulatorem est. CELSUS: *l.* 26 *D. de rebus dubiis* 34, 5.

In contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est. PAULUS: *l.* 172 *pr. D. de R. J.* 50, 17.

Cum in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis quaestio. PAULUS: *l.* 25 *§* 1 *D. de legatis III.*

In dubiis abstine.

Amittere ius. seu rem.

Quibus modis acquirimus, iisdem in contrarium actis amittimus. PAULUS: *l.* 153 *D. de R. J.* 50, 17.

Rem amisisse videtur, qui adversus nullum ejus persequendae actionem habet. PAULUS: *l.* 14 *§* 1 *D. de V. S.* 50, 16.

Non intelligitur amissum, quod ablatum alteri non est. PAPINIANUS: *l.* 20 *D. ex quib. caus. major.* 4, 6.

Non videntur rem amittere, quibus propria non fuit. PAPINIANUS: *l.* 83 *D. de R. J.* 50, 17.

Non potest videri desiise habere, qui nunquam habuit. PAULUS: *l.* 208 *D. de R. J.* 50, 17.

Nemo id ius, quod non habet, amittere potest.

Omnibus iuris error in damnis amittendae rei suae non nocet. PAPINIANUS: *l.* 8 *D. de j. et f. ignor.* 22, 6.

Nemo errans rem suam amittit. ULPIANUS: *l.* 35 *D. de acquir. rer. dom.* 41, 1.

Apocha.

Apocha non alias liberatio contingit quam si pecunia soluta sit. ULPIANUS: *l.* 19 *§* 1 *D. de acceptil.* 46, 4.

Appellatio.

Qui non appellat, approbare videtur sententiam.

Qui provocet, nondum damnatus videtur.

Qui appellat prior, agit. PAULUS: *l.* 29 *D. de judiciis* 5, 1.

Aqua. Aquaeductus. Aquaehaustus.

Aqua, quae in rivo nascitur, tacite lucri fit ab eo, qui ducit. POMPONIUS: *l.* 3 *§* 3 *D. de aqua cotid.* 43, 20.

Aquaeductus est ius aquam ducendi per fundum alienum. ULPIANUS: *l.* 1 *pr. D. de sero. pr. r.* 8, 3.

Qui habet haustum, iter quoque habere videtur ad hauriendum.

Aquam pluviam dicimus, quae de coelo cadit atque imbre excrescit. ULPIANUS: *l.* 1 *pr. D. de aqua et a. pl. arc.* 39, 3.

Aqua cotidiana est, quae duci assidui solet vel aestivo tempore vel hiberno; — aestiva ea est, qua aestate sola uti expedit. ULPIANUS: *l.* 1 *§* 3 *D. de aqua cotid.* 43, 20.

Arbiter.

Stare debet sententia arbitri, quam de re dixerit. ULPIANUS: *l.* 27 *§* 2 *D. de receptis* 4, 8.

Arbor.

Arborum, quae in fundo continentur, non est separatum corpus a fundo. POMPONIUS: *l.* 40 *D. de actionibus e. et v.* 19, 1.

Furtim caesae arbores videntur, quae ignorante domino celandique eius causa caeduntur. ULPIANUS: *l.* 7 *pr. D. arborum furtim caes.* 47, 7.

Beneficium. Liberalitas.

Ubi aequitas evidens poscit, subveniendum est. MARCELLUS: *l.* 183 *D. de R. J.* 50, 17.

Non negligentibus subvenitur, sed necessitate rerum impeditis. PAULUS: *l.* 16 *D. ex quib. caus. major.* 4, 6.

Stultis non succurritur.

Minoribus aetas in damnis subvenire, non rebus prospere gestis obesse consuevit. *L.* 14 *C. de procurat.* 2, 13.

Adiuvari nos, non decipi beneficio oportet. PAULUS: *l.* 17 *§* 3 *D. commodati* 13, 6.

Non sit aetatis excusatio adversus praecepta legum ei, qui, dum leges invocat, contra eas committit. TRYPHONINUS: *l.* 37 *D. de minor.* 4, 4.

Si [quis] communi auxilio et mero iure munitus sit, non debet ei tribui extraordinarium auxilium. ULPIANUS: *l.* 16 *pr. D. de minor.* 4, 4.

Invito beneficium non datur. PAULUS: *l.* 69 *D. de R. J.* 50, 17.

Beneficia non obtruduntur.

Non potest liberalitas nolenti acquiri. ULPIANUS: *l.* 19 *§* 2 *D. de donat.* 39, 5.

Indultum a iure beneficium non est alicui auferendum. *c.* 17 *de R. J. in* 6*to.* 5, 12.

Unicuique licet contemnere haec, quae pro se introducta sunt. IULIANUS: *l.* 41 *D. de minor.* 4, 4.

Unicuique integrum est his, quae ipsi a lege data et concessa sunt, renunciare. *Nov.* 136 *c.* 1.

Quod datur personis, cum personis amittitur. ULPIANUS: *l.* 1 *§* 43 *D. de aqua cotid.* 43, 20.

Personis datae immunitates heredibus non relinquuntur. ULPIANUS: *l.* 1 *§* 1 *D. de jure immun.* 50, 6.

Immunitates generaliter tributae eo iure, ut ad

posteros transmitterentur, in perpetuum succedentibus durant. MODESTINUS: *l.* 4 *D. de jure immun.* 50, 6.

Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum. *c.* 74 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Nemo in necessitatibus liberalis existit.
MODESTINUS: *l.* 18 *D. de adim. leg.* 34, 4.

Nemini sua liberalitas damnosa esse debet.

Nemo liberalis esse praesumitur.

Nemo sibi ipse beneficium dare potest.

Bona. Res familiaris.

Bonorum appellatio, sicut hereditatis, universitatem quandam ac ius successionis et non singulares res demonstrat. AFRICANUS: *l.* 208 *D. de V. S.* 50, 16.

Tantum quisque pecuniae relinquit, quantum ex bonis eius refici potest. CELSUS: *l.* 88 *D. de V. S.* 50, 16.

Bona intelliguntur cuiuscunque, quae deducto aere alieno supersunt. PAULUS: *l.* 39 *§* 1 *D. de V. S.* 50, 16.

Id enim bonorum cuiusque esse intelligitur, quod aeri alieno superest. IAVOLENUS: *l.* 11 *D. de jure fisci* 49, 14.

Quod evincitur, in bonis non est. CELSUS: *l.* 190 *D. de R. J.* 50, 17.

Vacantia mortuorum bona tunc ad fiscum iubemus transferri, si nullum ex qualibet sanguinis linea vel iuris titulo legitimum reliqueris intestatus heredem. *L.* 4 *C. de bonis vac.* 10, 10.

Expedit reipublicae, ne quis re sua male utatur. *§* 2 *J. de his, qui sui* 1, 8.

Qui non habet in aere, luat in corpore.

Bonorum possessio.

Bonorum possessio est ius persequendi vel retinendi patrimonii sive rei, quae cuiusquam, cum moritur, fuit. ULPIANUS: *l.* 3 *§* 2 *D. de bon. poss.* 37, 1.

Bonorum possessores sunt, qui alicui succedunt iure praetorio.

Calumniari. Calumnia.

Calumniari est falsa crimina intendere. MARCIANUS: *l.* 1 *§* 1 *D. ad Sctum Turp.* 48, 16.

Calumnia est quaevis versutia, qua alteruter litigantium adversarium suum circumvenire conatur.

Capitis deminutio.

Capitis minutio est status permutatio. GAIUS: *l.* 1 *D. de capite min.* 4, 5.

Casus.

Fortuitus casus est, qui nullo humano consilio praevideri potest.

Ea, quae ex improviso casu potius quam fraude accidunt, fato plerumque, non noxae, imputantur. *L.* 1 *C. ad leg. Corn.* 9, 16.

Casus fortuitus a mora excusat.

Casus a nullo praestantur. * ULPIANUS: *l.* 23 *D. de R. J.* 50, 17.

Casus fortuitus in nullo contractu praestatur.

Casum sentit dominus.

Casum sentit is, quem tangit.

Maior casus [est], cui humana infirmitas resistere non potest. GAIUS: *l.* 1 *§* 4 *D. de O. et A.* 44, 7.

Non videtur perfecte cuiusque esse, quod ex casu auferri potest. GAIUS: *l.* 139 *§* 1 *D. de R J* 50, 17.

Causa.

Per minorem causam maiori cognitioni praeiudicium fieri non oportet. Maior enim quaestio minorem causam ad se trahit. PAULUS: *l.* 54 *D. de judiciis* 5, 1.

Causa criminalis non praeiudicat civili.

Cessante causa cessat effectus.

Cessio.

Cessionarius est pro creditore.

Cessionarius utitur iure cedentis.

Cedendo extraneo nihil agitur. *§* 3 *J. de usufr.* 2, 4.

Cedi ius personale alii non potest.

Civitas. Respublica.

Civitates privatorum loco habentur. GAIUS: *l.* 16 *D. de V. S.* 50, 16.

Respublica creditrix omnibus chirographariis creditoribus praefertur. PAULUS: *l.* 38 *§* 1 *D. de rebus auct.* 42, 5.

Absentia eius, qui reipublicae causa abest, neque ei neque alii damnosa esse debet. ULPIANUS: *l.* 140 *D. de R. J.* 50, 17.

Salus publica suprema lex esto.

Codicilli.

Quaecunque in codicillis scribuntur, perinde habentur, ac si in testamento scripta essent. IULIANUS: *l.* 2 *§* 2 *D. de jure codic.* 29. 7.

Codicillis hereditas neque dari neque adimi potest. SCAEVOLA: *l.* 76 *D. ad Sctum Trebell.* 36. 1.

Per fideicommissum hereditas codicillis iure relinquitur. *§* 2 *J. de codicillis* 2. 25.

Codicilli deleti non valent. * ULPIANUS: *l.* 1 *§* 5 *D. de his, quae in test.* 28. 4.

Cogitatio.

Cogitationis poenam nemo patitur. ULPIANUS: *l.* 18 *D. de poenis* 48. 19.

Propositum in mente retentum nihil operatur.

Cognatio.

Cognati sunt per feminini sexus personas cognatione iuncti. *§* 1 *J. de legit. agnat. tut.* 1. 15.

Tot sunt gradus in cognatione, quot sunt generationes.

Iura sanguinis nullo iure civili dirimi possunt. POMPONIUS: *l.* 8 *D. de R. J.* 50, 17.

Commendatio.

Ex commendatione et consilio generali nulla nascitur obligatio.

Commoda. Incommoda. Onera. Periculum.

Prodesse enim sibi unusquisque, dum alii non nocet, non prohibetur. ULPIANUS: *l.* 1 *§* 11 *D. de aqua* 39, 3.

Secundum naturam est commoda cuiusque rei eum sequi, quem sequentur incommoda. PAULUS: *l.* 10 *D. de R. J.* 50, 17.

Commodum eius esse debet, cuius periculum est. *§* 3 *J. de emt.* 3, 24.

Ubi enim periculum, ibi et lucrum collocetur.

Qui sentit onus, sentire debet commodum et econtra. *c.* 55 *de R. J. in* 6*to* 5, 12.

Qui habet commoda, ferre debet onera.

Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore. *c.* 77 *de R. J. in* 6*to* 5, 12.

Finito officio cessant onera officii.

Commodatum.

Commodata res tunc proprie dicitur, si nulla mercede accepta vel constituta res tibi utenda data est. *§* 2 *J. quib. mod. re contr. oblig.* 3, 15.

Gratuitum debet esse commodatum. *§* 2 *J. quib. mod. re contr. oblig.* 3, 15.

Rei commodatae et possessionem et proprietatem retinemus. POMPONIUS: *l.* 8 *D. commodati* 13, 6.

Nemo commodando rem facit eius, cui commodat. ULPIANUS: *l.* 9 *D. commodati* 13, 6.

Non potest commodari id, quod usu consumitur. ULPIANUS: *l.* 3 *§* 6 *D. commodati* 13, 6.

Compensatio.

Compensatio est debiti et crediti inter se contributio. MODESTINUS: *l.* 1 *D. de compensat.* 16, 2.

Etiam quod natura debetur, venit in compensationem. ULPIANUS: *l.* 6 *D. de compensat.* 16, 2.

Liquidi cum illiquido nulla est compensatio.

Eius, quod non ei debetur, qui convenitur, sed alii, compensatio fieri non potest. *L.* 9 *C. de compensat.* 4, 31.

Possessionem autem alienam perperam occupantibus compensatio non datur. *L.* 14 *§* 2 *C. de compensat.* 4, 31.

Aequitas compensationis usurarum excludit computationem. *L.* 5 *C. de compensat.* 4. 31.

Dedisse intelligendus est etiam is, qui permutavit vel compensavit. PAULUS: *l.* 76 *D. de V. S.* 50, 16.

Concursus actionum, delictorum.

Quoties concurrunt plures actiones eiusdem rei nomine, una quis experiri debet. ULPIANUS: *l.* 43 *§* 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Si ex una obligatione plures actiones nascantur, una tantummodo, non omnibus utendum est. MODESTINUS: *l.* 53 *D. de O. et A.* 44, 7.

Nunquam actiones, praesertim poenales, de eadem re concurrentes alia aliam consumit. ULPIANUS: *l.* 130 *D. de R. J.* 50, 17.

Nunquam plura delicta concurrentia faciunt, ut ullius impunitas detur: neque enim delictum ob aliud

delictum minuit poenam. ULPIANUS: *l.* 2 *D. de priv. del.* 47, 1.

Conditio.

Qui sub conditione stipulatur, quae omnimodo extitura est, pure videtur stipulari. ULPIANUS: *l.* 9 § 1 *D. de novat.* 46, 2.

Cum quis sub conditione heres institutus fuerit, conditione expleta pro eo est, quasi pure hereditas relicta fuisset.

Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset. *c.* 56 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Conditio in praeteritum, non tantum praesens tempus relata statim aut perimit obligationem aut omnino non differt. MODESTINUS: *l.* 100 *D. de V. O.* 45, 1.

Quicunque sub conditione obligatus curaverit, ne conditio existeret, nihilominus obligatur. PAULUS: *l.* 85 § 7 *D. de V. O.* 45, 1.

In conditionibus testamentorum voluntatem potius quam verba considerari oportet. PAPINIANUS: *l.* 101 *D. de condit.* 35, 1.

Dies incertus conditionem in testamento facit. PAPINIANUS: *l.* 75 *D. de condit.* 35, 1.

Conditio efficax est, quae in constituenda obligatione inseritur, non quae post perfectam eam ponitur. PAULUS: *l.* 44 § 2 *D. de O. et A.* 44, 7.

Perfecta donatio conditiones postea non capit. *L.* 4 *C. de donat.* 4, 55.

Impossibilis conditio habetur, cui natura impedi-

mento est, quominus existat. § 11 *J. de inutil. stipul.* 3, 20.

Impossibiles conditiones testamento adscriptae pro nullis habendae sunt. ULPIANUS: *l.* 3 *D. de condit.* 35, 1.

Impossibilis conditio in ultimis voluntatibus pro non scripta habetur. * § 10 *J. de hered. instit.* 2, 14.

Quoties contrahentes sub conditione impossibili contrahunt, non tam contrahere quam nihil agere voluisse existimantur.

Si impossibilis conditio obligationibus adiiciatur, nihil valet stipulatio. § 11 *J. de inutil. stipul.* 3, 20.

Conditiones, quae contra bonos mores inseruntur, remittendae sunt. PAULUS: *l.* 9 *D. de condit. instit.* 28, 7.

Conditio existens ad initium negotii retrotrahitur.

Conditio, quae semel evanuit, amplius non reviviscit.

Confessio.

Confessio est regina probationum.

Confessus pro iudicato est, qui quodammodo sua sententia damnatur. PAULUS: *l.* 1 *D. de confessis* 42, 2.

Confessos in iure pro iudicatis haberi placet. *L. un. C. de confessis* 7, 59.

Non fatetur, qui errat, nisi ius ignoravit. ULPIANUS: *l.* 2 *D. de confessis* 42, 2.

Confessio soli confitenti nocet.

Confessio alterius alii non praeiudicat.

Confirmatio.

Confirmatio [negotii per iudicem] non dat iura, sed ea, quae sunt, stabilit.

Confirmatio nil dat novi.

Quod non est, confirmari non potest.

Confusio.

Confusio est, cum debitor et creditor una persona fit.

Confusione perinde extinguitur obligatio ac solutione. TERENTIUS CLEMENS: *l.* 21 § 1 *D. de liber. leg.* 34, 3.

Connexa.

Connexa habentur pro uno.

Connexorum idem est iudicium.

Connubium.

Connubium est facultas uxoris iure ducendae. ULPIANUS *fragm. t.* 5 § 3.

Consanguinitas.

Consanguineos Cassius definit eos, qui sanguine inter se connexi sunt. ULPIANUS: *l.* 1 § 10 *D. de suis et leg. her.* 38, 16.

Necessitudo consanguinitatis natalibus vel adoptionis solennitate coniungitur. *L.* 13 *C. de probat.* 4. 19.

Consequentia. Exemplum.

Quod contra rationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentias. PAULUS: *l.* 14 *D. de legg.* 1, 3.

In his, quae contra rationem iuris constituta sunt, non possumus sequi regulam iuris. IULIANUS: *l.* 15 *D. de legg.* 1, 3.

Quae a iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda. *c.* 28 *de R. J. in* 6*to* 5, 12.

Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum. *c.* 74 *de R. J. in* 6*to* 5, 12.

Quae propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi. PAULUS: *l.* 162 *D. de R. J.* 50, 17.

Consilium.

Consilium habuisse non nocet. nisi et factum secutum fuerit. PAULUS: *l.* 53 § 1. *D. de V. S.* 50, 16.

Nemo ex consilio obligatur. GAIUS: *l.* 2 § 6 *D. mandati* 17, 1.

Consilii non fraudulenti nulla obligatio est. ULPIANUS: *l.* 47 *pr. D. de R. J.* 50, 17.

Ex commendatione et consilio generali nulla nascitur obligatio.

Nemo potest mutare consilium suum in alterius iniuriam. PAPINIANUS: *l.* 75 *D. de R. J.* 50, 17.

Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum. *c.* 33 *de R. J. in* 6*to* 15, 2.

Constitutio principis.

Constitutio principis est, quod imperator decreto vel edicto vel epistola constituit. GAIUS 1, 5.

Quod principi placuit, legis habet vigorem.

ULPIANUS: *l.* 1 *pr. D. de constit. princ.* 1, 4.

Consuetudo.

Sine scripto ius venit, quod usus approbavit; nam diuturni mores consensu utentium comprobati legem imitantur. § 9 *J. de jure nat.* 1, 2.

Merito et ea, quae sine ullo scripto populus probavit, tenebunt omnes. IULIANUS: *l.* 32 § 9 *D. de legg.* 1, 3.

Diuturna consuetudo pro iure et lege in his, quae non ex scripto descendunt, observari solet. ULPIANUS: *l.* 33 *D. de legg.* 1, 3.

Leges quoque ipsas antiquitus probata et servata tenaciter consuetudo imitatur. *L.* 3 *C. quae sit longa cons.* 8, 53.

Inveterata consuetudo pro lege non immerito custoditur. IULIANUS: *l.* 32 § 1 *D. de legg.* 1, 3.

Consuetudinis ususque longaevi non vilis auctoritas est. *L.* 2 *C. quae sit longa cons.* 8, 53.

Optima est legum interpres consuetudo.

CALLISTRATUS: *l.* 37 *D. de legg.* 1, 3.

Naturali iuri consuetudine derogari non potest.

Malae consuetudines neque ex longo tempore neque ex longa consuetudine confirmantur. *Nov.* 134 *c.* 1.

Contractus. Pactum.

Contractus est ultro citroque obligatio. ULPIANUS: *l.* 19 *D. de V. S.* 50, 16.

Pactum est duorum consensus atque conventio. ULPIANUS: *l.* 3 *pr. D. de pollicit.* 50, 12.

Est pactio duorum pluriumve in idem placitum consensus. ULPIANUS: *l.* 1 § 2 *D. de pactis* 2, 14.

Legitima conventio est, quae lege aliqua confirmatur. PAULUS: *l.* 6 *D. de pactis* 2, 14.

Conventio legem dat contractui.

Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur. *c.* 85 *de R. J. in 6to* 5. 12.

Pacta legem dant contractui.

Verba contractus sunt lex contractus.

Pacta in continenti facta stipulationi inesse creduntur. PAULUS: *l.* 40 *D. de rebus creditis* 12, 1.

Decipi non debent contrahentes. ULPIANUS: *l.* 11 § 5 *D. de instit. act.* 14, 3.

Voluntates legitime contrahentium omnimodo conservandae sunt. *L.* 6 *C. pro socio* 4, 37.

In conventionibus contrahentium voluntatem potius quam verba spectari placuit. PAPINIANUS: *l.* 219 *D. de V. S.* 50, 16.

In contrahendo quod agitur, pro cauto habendum est. POMPONIUS: *l.* 3 *D. de reb. cred.* 12, 1.

In contractibus rei veritas potius quam scriptura perspici debet. *L.* 1 *C. plus valere* 4, 22.

Plus actum quam scriptum valet. *L.* 4 *C. plus valere* 4, 22.

Pacta novissima servanda sunt. * *L.* 12 *C. de pactis* 2, 3.

Mutare consilium quis [in contractu] non potest in alterius detrimentum. *c.* 33 *de R. J. in* 6*to* 5, 12.

Nemo potest mutare [in contractu] consilium suum in alterius iniuriam. PAPINIANUS: *l.* 75 *D. de R. J.* 50, 17.

Contractus vis omnis in conclusione consistit.

Qui cum alio contrahit, vel est vel esse debet non ignarus conditionis eius. ULPIANUS: *l.* 19 *pr. D. de R. J.* 50, 17.

Quoties in stipulationibus ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quo res, de qua agitur, in tuto sit. ULPIANUS: *l.* 80 *D. de V. O.* 45, 1.

In stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus. PAULUS: *l.* 144 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Non enim secundum futuri temporis ius, sed secundum praesentis aestimari debet stipulatio. VENULEIUS: *l.* 137 § 6 *D. de V. O.* 45, 1.

Contraxisse unusquisque in eo loco intelligitur, in quo ut solveret se obligavit. IULIANUS: *l.* 21 *D. de O. et A.* 44, 7.

Contractum non utique in eo loco intelligitur, quo negotium gestum sit, sed quo solvenda est pecunia. GAIUS: *l.* 3 *D. de rebus auctor.* 42, 5.

Casus fortuitus in nullo contractu praestatur.

Quae dubitationis tollendae causa contractibus inseruntur, ius commune non laedunt. PAPINIANUS: *l.* 81 *D. de R. J.* 50, 17.

Qui sub conditione stipulatur, quae omnimodo extitura est, pure videtur stipulari. ULPIANUS: *l.* 9 § 1 *D. de novat.* 46, 2.

Contractus imaginarii ... iuris vinculum non obtinent, cum fides facti simulatur non intercedente veritate. MODESTINUS: *l.* 54 *D. de O. et A.* 44, 7.

Si impossibilis conditio obligationibus adiiciatur, nihil valet stipulatio. § 11 *J de inutil. stipul.* 3. 20.

Si flagitii faciendi vel facti causa concepta sit stipulatio, ab initio non valet. PAPINIANUS: *l.* 123 *D. de V. O.* 45, 1.

Pacta, quae contra leges constitutionesque vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati iuris est. *L.* 6 *C. de pactis* 2, 3.

Generaliter novimus turpes stipulationes nullius esse momen'i. ULPIANUS: *l.* 26 *D. de V. O.* 45, 1.

Qui iussu alterius cum aliquo contrahit, quodammodo cum eo contrahit, qui iubet, dum fidem eius sequitur.

Certissimum est ex alterius contractu neminem obligari. *L.* 3 *C. ne uxor pro marito* 4, 12.

Circumvenire se invicem naturaliter licet contrahentibus.

Contrarium.

Contraria simul esse non possunt.

Contraria allegans non auditur.

Contumacia.

Contumax est, qui tribus edictis praepositis vel uno pro tribus, quod vulgo peremtorium appellatur, literis evocatus praesentiam sui facere contemnit.

HERMOGENIANUS: *l.* 53 § 1 *D. de re judicata* 42, 1.

Poenam contumacis non patitur, quem adversa valetudo vel maioris causae occupatio defendit. HERMOGENIANUS: *l.* 53 § 2 *D. de re judicata* 42, 1.

Contumaces non videntur, nisi qui, cum obedire deberent, non obsequuntur. HERMOGENIANUS: *l.* 53 § 2 *D. de re judicata* 42, 1.

Contumax non appellat.

Convalescentia negotiorum.

Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere. [Regula Catoniana]. PAULUS: *l.* 29 *D. de R. J.* 50, 17.

Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit. *c.* 18 *de R. J. in* 6*to* 5, 12.

Quae ab initio inutilis fuit institutio, ex postfacto convalescere non potest. LICINIUS RUFINUS: *l.* 210 *D. de R. J.* 50, 17.

Creditor.

Creditorum appellatione non hi tantum accipiuntur, qui pecuniam crediderunt, sed omnes, quibus ex qualibet causa debetur. GAIUS: *l.* 11 *D. de V. S.* 50, 16.

Creditor is est, qui exceptione perpetua submoveri non potest. PAULUS: *l.* 55 *D. de V. S.* 50, 16.

Debitorum pactionibus creditorum petitio nec tolli nec mutari potest. *L.* 25 *C. de pactis* 2, 3.

Nihil dolo creditor facit, qui suum recipit. PAULUS: *l.* 129 *pr. D. de R. J.* 50, 17.

Nec creditores creditori quisquam invitus delegare potest. *L.* 6 *C. de novat.* 8, 42.

Respublica creditrix omnibus chirographariis creditoribus praefertur. PAULUS: *l.* 38 § 1 *D. de reb. auctor.* 42, 5.

Falsus creditor .... est is, qui se simulat creditorem. ULPIANUS: *l.* 43 *D. de furtis* 47, 1.

Crimen. Peccatum.

Extinguitur crimen mortalitate. ULPIANUS: *l.* 11 *D. ad leg. Jul.* 48, 4.

Peccata suos teneant auctores. *L.* 22 *C. de poenis* 9, 47.

Ubi commodum, ibi auctor.

Qui non habet in aere, luat in corpore.

Culpa.

Culpa est, quod, cum a diligente provideri poterit. non esset provisum. PAULUS: *l.* 31 *D. ad leg. Aquil.* 9, 2.

Magna negligentia culpa est. magna culpa dolus est. PAULUS: *l.* 226 *D. de V. S.* 50, 16.

Culpa dolo proxima dolum repraesentat. ULPIANUS: *l.* 1 § 2 *D. si is, qui testam.* 47, 4.

Lata culpa plane dolo comparabitur. ULPIANUS: *l.* 1 § 1 *D. si mensor falsum* 11, 1.

Lata culpa est nimia negligentia, id est non intelligere, quod omnes intelligunt. ULPIANUS: *l.* 213 § 2 *D. de V. S.* 50, 16.

Latae culpae finis est non intelligere id, quod omnes intelligunt. PAULUS: *l.* 223 *pr. D. de V. S.* 50, 16.

Imperitia culpae adnumeratur. GAIUS: *l.* 132 *D. de R. J.* 50, 17.

Lusus quoque noxius in culpa est. PAULUS: *l.* 10 *D. ad leg. Aquil.* 9, 2.

Culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti. POMPONIUS: *l.* 36 *D. de R. J.* 50, 17.

Non est sine culpa, qui rei, quae ad eum non pertinet, se immiscet. *c.* 19 *de R. J. in 6to* 5, 12.

In lege Aquilia et levissima culpa venit. ULPIANUS: *l.* 44 *pr. D. ad leg. Aquil.* 9, 2.

Culpa abest, si omnia facta sunt, quae diligentissimus quisque observaturus fuisset. GAIUS: *l.* 25 § 7 *D. locati conducti* 19, 2.

Culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest. PAULUS: *l.* 50 *D. de R. J.* 50, 17.

Ubi non est culpa, ibi non est delictum.

Quod quis ex sua culpa damnum sentit, non intelligitur damnum sentire. POMPONIUS: *l.* 203 *D. de R. J.* 50, 17.

Cura. Curator.

Officium curatoris in administratione negotiorum constat. PAULUS: *l.* 20 *D. de R. N.* 23, 2.

Curator rei datur.

Curator testamento neque a patre recte datur. MODESTINUS: *l.* 1 § 3 *D. de confirm. tut.* 26, 3.

Curator testamento non datur: datus tamen confirmatur decreto praetoris vel praesidis. § 1 *J. de curator.* 1, 23.

Curatores minores sibi ipsis petent. MODESTINUS: *l.* 2 § 4 *D. qui petant. tut.* 26, 6

Inviti adolescentes curatores non accipiunt praeterquam in litem. § 2 *J. de curator.* 1, 23.

Permittitur .... debitori compellere adolescentem ad petendos sibi curatores. ULPIANUS: *l.* 7 § 2 *D. de minor.* 4, 4.

Curator pupillo non datur, si tutor eius adfuerit. * CELSUS: *l.* 11 *D. de tutor.* 26, 5.

Curator et ad certam causam dari potest. § 2 *J. de curator.* 1, 23.

Consilio et opera curatoris tueri debet non solum patrimonium, sed et corpus ac salus furiosi. IULIANUS: *l.* 7 *pr. D. de curator. fur.* 27, 10.

Maritus uxori suae curator creari non potest. * *L.* 2 *C. qui dare tut.* 5, 34.

Non potest curator esse sponsae sponsus. MODESTINUS: *l.* 1 § 5 *D. de excusat.* 27, 1.

Damnum. Lucrum.

Neque enim lucrum intelligitur nisi omni damno deducto neque damnum nisi omni lucro deducto. PAULUS: *l.* 30 *D. pro socio* 17, 2.

Damnum pati videtur, qui commodum amittit, quod consequi poterat. ULPIANUS: *l.* 2 § 11 *D. ne quid in loco* 43, 8.

Nemo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere ius non habet. PAULUS: *l.* 151 *D. de R. J.* 50, 17.

Et qui occasionem praestat, damnum fecisse videtur. PAULUS: *l.* 30 § 3 *D. ad leg. Aquil.* 9, 2.

Is damnum dat, qui iubet dare: eius vero nulla culpa est, cui parere necesse est. PAULUS: *l.* 169 *pr. D. de R. J.* 50, 17.

Quod quis ex sua culpa damnum sentit, non intelligitur damnum sentire. POMPONIUS: *l.* 203 *D. de R. J.* 50, 17.

Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis, imputare. *c.* 86 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Damnum infectum est damnum nondum factum, quod futurum veremur. GAIUS: *l.* 2 *D. de damno infecto* 39, 2.

Cum de lucro duorum quaeratur, melior est causa possidentis. ULPIANUS: *l.* 126 § 2 *D. de R. J.* 50, 17.

Ubi enim periculum, ibi et lucrum collocetur.

Ex qua persona quis lucrum capit, eius factum praestare debet. ULPIANUS: *l.* 149 *D. de R. J.* 50, 17.

Liberari ab obligatione lucrum est.

Lucrum non acquirere cuilibet licet.

Prodesse enim sibi unusquisque, dum alii non nocet, non prohibetur. ULPIANUS: *l.* 1 § 11 *D. de aqua* 39, 3.

Quod tibi non nocet et alteri prodest, facile concedendum est.

Quod ex lege datum est lucrum, privatus auferre modis omnibus non valebit. *Nov.* 22 *c.* 33.

Debitor.

Debitor intelligitur is, a quo invito exigi pecunia potest. MODESTINUS: *l.* 108 *D. de V. S.* 50, 16.

Debitor sui ipsius nemo esse potest.

Nuda ratio non facit aliquem debitorem. POMPONIUS: *l.* 26 *D. de donat.* 39, 5.

Debitoris mei debitor non est meus debitor.

Desinit debitor esse is, qui nactus est exceptionem iustam nec ab aequitate naturali abhorrentem. IULIANUS: *l.* 66 *D. de R. J.* 50, 17.

In diem debitor adeo debitor est, ut ante diem solutum repetere non possit. PAULUS: *l.* 10 *D. de condict. indeb.* 12, 6.

Debitum.

Quoties in obligationibus dies non ponitur, praesenti die pecunia debetur. ULPIANUS: *l.* 41 § 1 *D. de V. O.* 45, 1.

Statim debetur, quod sine die debetur.

In dubio semper id, quod minus est, debetur.

Qui partem debiti sine protestatione solvit, totum debitum agnoscere videtur.

Defensio. Defensor.

Defensionem quocunque tempore postulanti reo negari non oportet. PAULUS: *l.* 18 § 9 *D. de quaest.* 48, 18.

Nullus pluribus uti defensoribus prohibetur. *c.* 20 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Qui rem alienam defendit, nunquam locuples habetur. PAULUS: *l.* 166 *D. de R. J.* 50, 17.

Invitus nemo cogitur rem defendere. ULPIANUS: *l.* 156 *pr. D. de R. J.* 50, 17.

Omnis, qui defenditur, boni viri arbitratu defendendus est. PAULUS: *l.* 77 *D. de procurat.* 3, 3.

Nemo dubitat solvendo videri eum, qui defenditur. ULPIANUS: *l.* 95 *D. de R. J.* 50, 17.

Delegatio debiti.

Delegare est vice sua alium reum dare creditori vel cui iusserit. ULPIANUS: *l.* 11 *pr. D. de novat.* 46, 2.

Delegare scriptura vel nutu, ubi fari non potest, debitorem suum quis potest. ULPIANUS: *l.* 17 *D. de novat.* 46, 2.

Delegatio debiti nisi consentiente et stipulante promittente debitore iure perfici non potest. *L.* 1 *C. de novat.* 8, 42.

Nec creditores creditori quisquam invitus delegare potest. *L.* 6 *C. de novat.* 8, 42.

Delictum.

Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest. ULPIANUS: *l.* 134 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Nec enim corrumpi aut mutari, quod recte transactum est, superveniente delicto potest. PAULUS: *l.* 2 *D. de itinere* 43, 19.

Nunquam crescit ex postfacto praeteriti delicti aestimatio. PAULUS: *l.* 138 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Nunquam plura delicta concurrentia faciunt, ut ullius impunitas detur: neque enim delictum ob aliud delictum minuit poenam. ULPIANUS: *l.* 2 *D. de priv. del.* 47, 1.

Delictum non imputatur, ubi dolus non est.

Qui clam delinquunt, magis delinquunt quam qui palam.

Dignitas delictum auget.

Delictum iteratum gravius est.

Demonstratio.

Demonstratio est descriptio rei, quae legatur.
THEOPHILUS: *in* § 30 *Inst. de legatis [e graeco].*
Demonstratio plerumque vice nominis fungitur.
FLORENTINUS: *l.* 34 *D. de condit. et demonstr.* 35, 1.
Falsa demonstratione mutari substantia veritatis minime potest. *L.* 5 *C. de j. et f. ignor.* 1, 18.
Falsa demonstratio non nocet.

Depositum.

Depositum est, quod custodiendum alicui datum est.
ULPIANUS: *l.* 1 *pr. D. depositi* 16, 3.
Rei depositae proprietas apud deponentem manet.
FLORENTINUS: *l.* 17 § 1 *D. depositi* 16, 3.
Aliud est credere aliud deponere. ULPIANUS: *l.* 24 § 2 *D. de rebus auctor.* 42, 5.
Proprie autem in sequestre est depositum, quod a pluribus in solidum certa conditione custodiendum reddendumque traditur. PAULUS: *l.* 6 *D. depositi* 16, 3.
Depositum habet executionem paratam.

Detestatio.

Detestatio est denuntiatio facta cum testatione.
ULPIANUS: *l.* 40 *pr. D. de V. S.* 50, 16.
Detestari est absenti denuntiare. PAULUS: *l.* 39 § 2 *D. de V. S.* 50, 16.

Dies.

Hereditas ex die vel ad diem non recte datur: sed

vitio temporis sublato manet institutio. PAPINIANUS: *l.* 34 *D. de her. inst.* 28, 5.

Dies incertus conditionem in testamento facit. PAPINIANUS: *l.* 75 *D. de condit. et demonstr.* 35, 1.

Ex die incipit obligatio.

In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, praesenti die debetur. POMPONIUS: *l.* 14 *D. de R. J.* 50, 17.

Statim debetur, quod sine die debetur.

Dies adiectus efficit, ne praesenti die debeatur.

Dies non remoratur obligationem.

Dies [in mora] interpellat pro homine.

Dies coeptus pro completo habetur. *cf. Puchta Pand.* § 75.

Novissimus totus dies completus esse debet. *cf. Puchta Pand.* § 75.

Cedere diem significat incipere deberi pecuniam. ULPIANUS: *l.* 213 *pr. D. de V. S.* 50, 16.

Venire diem significat eundem venisse, quo pecunia peti posset. ULPIANUS: *l.* 213 *pr. D. de V. S.* 50, 16.

Ubi pure quis stipulatus fuerit, et cessit et venit dies. ULPIANUS: *l.* 213 *pr. D. de V. S.* 50, 16.

Difficultas.

Difficultas non vitiat actum.

Quae difficilia sunt, non statim sunt deteriora.

Magna difficultas impossibilitati aequiparatur.

Documentum. Instrumentum.

Instrumentorum nomine ea omnia accipienda sunt, quibus causa instrui potest. PAULUS: *l.* 1 *D. de fide instrum.* 22, 4.

Instrumentum operatur quantum pactum.

Dolus.

Dolus est consilium alteri nocendi.

Dolus malus est machinatio quaedam alterius decipiendi causa, cum aliud simulatur et aliud agitur. ULPIANUS: *l.* 1 § 2 *D. de dolo malo* 4, 3.

Lata culpa plane dolo comparabitur. ULPIANUS: *l.* 1 § 1 *D. si mensor falsum* 11, 6.

Culpa dolo proxima dolum repraesentat. ULPIANUS: *l.* 1 § 2 *D. si is, qui test.* 47, 4.

Magna culpa dolus est. PAULUS: *l.* 226 *D. de V. S.* 50, 16.

Magnam negligentiam placuit in doli crimine cadere. GAIUS: *l.* 1 § 5 *D. de O. et A.* 44, 7.

Dissoluta enim negligentia prope dolum est. ULPIANUS: *l.* 29 *pr. D. mandati* 17, 1.

Dolo malo pactum fit, quoties circumscribendi alterius causa aliud agitur et aliud agi simulatur. ULPIANUS: *l.* 7 § 9 *D. de pactis* 2, 14.

Videor dolum malum facere, qui ex aliena iactura lucrum quaeram. PAULUS: *l.* 17 § 4 *D. de instit. act.* 14, 3.

Nemo videtur dolo exsequi, qui ignorat causam, cur non debeat petere. PAULUS: *l.* 177 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Qui iussu iudicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, quia parere necesse habet. PAULUS: *l.* 167 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Quod quis mandato facit iudicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse. *c.* 24 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Nullus videtur dolo facere, qui suo iure utitur. GAIUS: *l.* 55 *D. de R. J.* 50, 17.

Dolus non praesumitur.

Alienus dolus nocere alteri non debet. NERATIUS: *l.* 11 *pr. D. de doli mali except.* 44, 4.

Dolus semper praestatur.

Nemini dolus per occasionem iuris civilis contra naturalem aequitatem prodesse debet.

Nemini dolus suus prodesse debet.

Dolus omnimodo punitur. NERATIUS: *l.* 11 § 1 *D. de doli mali except.* 44, 4.

Semper qui dolo fecit, quominus haberet, pro eo habetur, ac si haberet. ULPIANUS: *l.* 157 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Dolus pro possessione est.

Non potest dolo carere, qui imperio magistratus non paruit. IAVOLENUS: *l.* 199 *D. de R. J.* 50, 17.

Nunquam volentibus dolus infertur. *L.* 34 *C. de pactis* 2, 3.

Domicilium.

Domicilium est, ubi quis degit rerumque suarum summam constituit eo consilio, ut ibi maneat. * *L.* 7 *C. de incolis* 10, 39.

Sola domus possessio, quae in aliena civitate comparatur, domicilium non facit. PAPINIANUS: *l.* 17 § 13 *D. ad municipal.* 50, 1.

Incolas domicilium facit. *L.* 7 *C. de incolis* 10, 39.

Nihil est impedimento, quominus quis, ubi velit, habeat domicilium, quod ei interdictum non sit. MARCELLUS: *l.* 31 *D. ad municipal.* 50, 1.

Domicilium re et facto transfertur, non nuda contestatione. PAULUS: *l.* 20 *D. ad municipal.* 50, 1.

Dominium. Proprietas. Dominus.

Meum est, quod ex re mea superest, cuius vindicandi ius habeo. CELSUS: *l.* 49 § 1 *D. de R. V.* 6, 1.

Quod ex re nostra fit, nostrum est.

Quod proprium est alicuius, amplius eius fieri nequit.

Neque enim amplius quam semel res mea esse potest. PAULUS: *l.* 14 § 2 *D. de except. rei jud.* 44, 2.

Traditionibus et usucapionibus dominia rerum, non nudis pactis, transferuntur. *L.* 20 *C. de pactis* 2. 3.

Nunquam nuda traditio transfert dominium. PAULUS: *l.* 31 *pr. D. de acquir. rer. dom.* 41. 1.

In omnibus rebus, quae dominium transferunt, concurrat oportet affectus ex utraque parte contrahentium. IAVOLENUS: *l.* 55 *D. de O. et A.* 44, 7.

Non solet locatio dominium mutare. ULPIANUS: *l.* 39 *D. locati conducti* 19, 2.

Accidit aliquando, ut, qui dominus sit, alienare non possit. *pr. J. quibus alien. licet* 2. 8.

Dominus membrorum suorum nemo videtur. ULPIANUS: *l.* 13 *pr. D. ad leg. Aquil.* 45, 2.

Duorum in solidum dominium esse non potest. ULPIANUS: *l.* 5 § 15 *D. commodati* 13, 6.

Quae facti sunt, non transeunt ad dominum. PAULUS: *l.* 44 *pr. D. de condit. et demonstr.* 25, 1.

Nihil commune habet proprietas cum possessione. ULPIANUS: *l.* 12 § 1 *D. de acquir. vel am. poss.* 41, 2.

Dominus habetur, qui possidet. donec probetur contrarium.

Domus.

Domus tutissimum cuiusque refugium atque receptaculum est. GAIUS: *l.* 18 *D. in jus voc.* 2,4.

Nemo de domo sua extrahi debet. PAULUS: *l.* 103 *D. de R. J.* 50, 17.

Domo pignori data et area eius tenebitur. PAULUS: *l.* 21 *D. de pignor. act.* 13, 7.

Donatio.

Donari videtur, quod nullo iure cogente conceditur. PAPINIANUS: *l.* 82 *D. de R. J.* 50, 17.

Dona .... sunt, quae nulla necessitate iuris, officii, sed sponte praestantur. MARCIANUS: *l.* 214 *D. de V. S.* 50, 16.

Cuius per errorem dati repetitio est, eius consulto dati donatio est. PAULUS: *l.* 53 *D. de R. J.* 50, 17.

Donari non potest. nisi quod eius fit, cui donatur. POMPONIUS: *l.* 9 § 3 *D. de donat.* 39, 5.

Etiam per interpositam personam donatio consummari potest. PAULUS: *l.* 4 *D. de donat.* 39, 5.

Non enim donat, qui necessariis oneribus succurrit. ULPIANUS: *l.* 21 *pr. D. de donat. inter v. et u.* 24, 1.

Nemo in necessitatibus liberalis existit.
MODESTINUS: *l.* 18 *D. de adim. leg.* 34, 4.

Nemo invitus donat.

Mente captus donare non potest. MODESTINUS: *l.* 23 § 1 *D. de donat.* 39, 5.

Perfecta donatio conditiones postea non capit. *L.* 4 *C. de donat.* 8, 55.

In aedibus alienis habitare gratis donatio videtur.
POMPONIUS: *l.* 9 *pr. D. de donat.* 39, 5.

Donatio non praesumitur.

Cuius est donandi, eidem et vendendi ius est.
ULPIANUS: *l.* 163 *D. de R. J.* 50, 17.

Est enim iustus possessor et petitor, qui liberalitatem accepit. ULPIANUS: *l.* 7 § 3 *D. de Publiciana* 6, 2

Pro donato is usucapit, cui donationis causa res tradita est. PAULUS: *l.* 1 *pr. D. pro donato* 41, 6.

Mortis causa donatio est, quae propter mortis fit suspicionem. § 1 *J. de donat.* 2, 7.

Mortis causa donatur, quod praesens praesenti dat. MARCELLUS: *l.* 38 *D. de mortis causa donat.* 39, 6.

Mortis causa donationes comparantur legatis.
ULPIANUS: *l.* 1 § 1 *D. si quid in fraud.* 38, 5.

Non videtur perfecta donatio mortis causa facta, antequam mors insequatur. ULPIANUS: *l.* 32 *D. de mortis causa donat.* 39, 6.

Mortis causa donationes .... infirmantur per aes alienum. PAULUS: *l.* 65 § 1 *D. ad leg. Falc.* 35, 2.

Dos.

Dos ipsius filiae proprium patrimonium est.
ULPIANUS: *l.* 3 § 5 *D. de minor.* 4, 4.

Dotem numeratio, non scriptura dotalis instrumenti facit. *L.* 1 *C. do dote caut.* 5, 15.

Dos sine matrimonio esse non potest. ULPIANUS: *l.* 3 *D. de jure dot.* 23, 3.

Ubicunque matrimonii nomen non est, nec dos est. ULPIANUS: *l.* 3 *D. de jure dot.* 23, 3.

Dotis causa perpetua est. PAULUS: *l.* 1 *D. de jure dot.* 23, 3.

Reipublicae interest mulieres dotes salvas habere, propter quas nubere possunt. PAULUS: *l.* 2 *D. de jure dot.* 23, 3.

Dotium causa semper et ubique praecipua est. POMPONIUS: *l.* 1 *D. solut matrim. dos* 24, 3.

In ambiguis pro dotibus respondere melius est. PAULUS: *l.* 70 *D. de jure dot.* 23, 3.

Ibi dos esse debet, ubi onera matrimonii sunt. PAULUS: *l.* 56 § 1 *D. de jure dot.* 23, 3.

Nisi matrimonii oneribus serviat, dos nulla est. TRYPHONINUS: *l.* 76 *D. de jure dot.* 23, 3.

Mater pro filia dotem dare non cogitur nisi ex magna et probabili causa vel lege specialiter expressa. *L.* 14 *C. de jure dot.* 5, 12.

Necessariae impensae dotem minuunt. ULPIANUS: *l.* 5 *pr. D. de impensis* 25, 1.

Profectitia dos est, quae a patre vel parente profecta est de bonis vel facto eius. ULPIANUS: *l.* 5 *pr. D. de jure dot.* 23, 3.

Emancipatio.

Filiusfamilias emancipari invitus non cogitur. PAULUS: *Sent. II*, 25 § 5.

Filius emancipatus etiam sine consensu patris uxorem ducere potest. MODESTINUS: *l.* 25 *D. de R. V.* 23, 2.

Emtio. Venditio.

Emtio consensu peragitur. PAULUS: *l.* 1 § 2 *D. de contrah. emt.* 18, 1.

Emtio et venditio contrahitur, simulatque de pretio convenerit. *pr. J. de emt.* 3, 24.

Conventio perficit .... emtionem. ULPIANUS: *l.* 2 *D. de contrah. emt.* 18, 1.

Sine pretio nulla venditio est. ULPIANUS: *l.* 2 § 1 *D. de contrah. emt.* 18, 1.

Ratio non patitur, ut una eademque res et veneat et pretium sit emtionis. PAULUS: *l.* 1 *pr. D. de rer. permut.* 19, 4.

Omnium rerum, quas quis habere vel possidere vel persequi potest, venditio recte fit. PAULUS: *l.* 34 § 1 *D. de contrah. emt.* 18, 1.

Fructus et partus futuri recte emuntur. POMPONIUS: *l.* 8 *D. de contrah. emt.* 18, 1.

Earum rerum, quas natura vel gentium ius vel mores civitatis commercio exuerunt, nulla venditio est. PAULUS: *l.* 34 § 1 *D. de contrah. emt.* 18, 1.

Nemo potest videri eam rem vendidisse, de cuius dominio id agitur, ne ad emtorem transeat. LABEO: *l.* 80 § 3 *D. de contrah. emt.* 18, 1.

Suae rei emtio non valet. POMPONIUS: *l.* 16 *pr. D. de contrah. emt.* 18, 1.

Rei propriae emtio non potest consistere. *L.* 4 *C. de contrah. emt.* 4, 38.

Nulla est venditio, quoties in materia erratur. Ulpianus: *l.* 9 § 1 *D. de contrah. emt.* 18, 1.

Nihil facit error nominis, cum de corpore constat. Ulpianus: *l.* 9 § 1 *D. de contrah. emt.* 18, 1.

Cum in corpore dissentiatur, apparet nullam esse emtionem. Ulpianus: *l.* 9 *pr. D. de contrah. emt.* 18, 1.

Si id, quod pure emi, sub conditione rursus emam, nihil agitur posteriore emtione. Paulus: *l.* 7 *pr. D. de rescind. vend.* 18, 5.

Contractus imaginarii etiam in emtionibus iuris vinculum non obtinent, cum fides facti simulatur non intercedente veritate. Modestinus: *l.* 54 *D. de O. et A.* 44, 7.

Nuda et imaginaria venditio pro non facta est. Paulus: *l.* 55 *D. de contrah. emt.* 18, 1.

Imaginaria venditio non est pretio accedente. Ulpianus: *l.* 16 *D. de R. J.* 50, 17.

In contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est. Paulus: *l.* 172 *pr. D. de R. J.* 50, 17.

Si sub conditione emtio facta sit, pendente conditione emtor usu non capit. Paulus: *l.* 2 § 2 *D. pro emtore* 41, 3.

Emtori etiam venditoris iura prodesse non ambigitur. *L.* 28 *C. de evictionibus* 8, 45.

Id tempus venditoris prodest emtori, quo, antequam venderet, possedit. Paulus: *l.* 14 *pr. D. de usucap.* 41, 3.

Emtori tempus venditoris ad usucapionem prodest.

Plerumque emtoris eadem causa esse debet circa petendum ac defendendum, quae fuit auctoris. Ulpianus: *l.* 156 § 3 *D. de R. J.* 50, 17.

Auctoris dolus emtori non obiicitur. Ulpianus: *l.* 4 § 31 *D. de doli mali except.* 44, 4.

Perfecta emtione periculum ad emtorem respiciet. Paulus: *l.* 8 *pr. D.* de periculo 18, 6.

Error. Ignorantia.

Error [ignorantia] iuris nocet, facti non nocet. Paulus: *l.* 9 *pr. D. de j. et f. ignor.* 22, 6.

Ignorantia facti, non iuris excusat. *c.* 13 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Iuris error nulli prodest. Paulus: *l.* 2 § 15 *D. pro emtore* 41, 4.

Iuris ignorantia non prodest acquirere volentibus, suum vero petentibus non nocet. Papinianus: *l.* 7 *D. de j. et f. ignor.* 22, 6.

Omnibus iuris error in damnis amittendae rei suae non nocet. Papinianus: *l.* 8 *D. de j. et f. ignor.* 22, 6.

Nemo errans rem suam amittit. Ulpianus: *l.* 35 *D. de acquir. rer. dom.* 41, 1.

Ignoranti non currit tempus.

Erroris fideiussio nulla est. Paulus: *l.* 37 *D. de fidejuss.* 46, 1.

Quod indebitum per errorem solvitur, aut ipsum aut tantundem repetitur. Pomponius: *l.* 7 *D. de condict. indeb.* 12, 6.

Cum quis ius ignorans indebitam pecuniam solvit, cessat repetitio. *L.* 10 *C. de j. et f. ignor.* 1, 18.

Non fatetur, qui errat, nisi ius ignoravit. Ulpianus: *l.* 2 *D. de confessis* 42, 2.

Error facti necdum finito negotio nemini nocet. *L.* 7 *C. de j. et f. ignor.* 1, 18

In alieni facti ignorantia tolerabilis error est. NERATIUS: *l.* 5 § 1 *D. pro suo* 41, 10.

Errore veritas ... non amittitur. ULPIANUS: *l.* 6 *pr. D. ad municipal.* 50, 1.

Veritas rerum erroribus gestarum non vitiatur. ULPIANUS: *l.* 6 § 1 *D. de offic. praes.* 1, 18.

Nulla voluntas errantis est. POMPONIUS: *l.* 20 *D. de aqua* 39, 3.

Non videntur, qui errant, consentire. ULPIANUS: *l.* 116 § 2 *D. de R. J.* 50, 17.

Error enim litigatorum non habet consensum. ULPIANUS: *l.* 2 *pr. D. de judiciis* 5, 1.

Qui potest invitis alienare, multo magis et ignorantibus et absentibus potest. ULPIANUS: *l.* 26 *D. de R. J.* 50, 17.

Praesumitur ignorantia, ubi scientia non probatur. *c.* 47 *de R. J. in* 6*to* 5, 12.

Quae publice fiunt, nulli licet ignorare.

Exceptio.

Exceptio dicta est quasi quaedam exclusio, quae opponi actioni cuiusque rei solet ad excludendum id, quod in intentionem condemnationemve inductum est. ULPIANUS: *l.* 2 *D. de excepl.* 44, 1.

Exceptiones perpetuae atque peremtoriae sunt, quae semper locum habent nec evitari possunt; — temporales atque dilatoriae sunt, quae non semper locum habent, sed evitari possunt. GAIUS: *l.* 3 *D. de excepl.* 44, 1.

Perpetuae atque peremtoriae exceptiones sunt, quae semper agentibus obstant et semper rem, de

qua agitur, perimunt; — temporales atque dilatoriae, quae ad tempus nocent et temporis dilationem tribuunt. § 9. 10 *J. de except.* 4, 13.

Nemo prohibetur pluribus exceptionibus uti, quamvis diversae sunt. PAULUS: *l.* 8 *D. de except* 44, 1.

Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus. *c.* 71 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Quae ad agendum sunt temporalia, ad excipiendum sunt perpetua.

Agere etiam is videtur, qui exceptione utitur: nam reus in exceptione actor est. ULPIANUS: *l.* 1 *D. de except.* 44, 1.

Reus excipiendo fit actor.

Actionis verbo non continetur exceptio. PAULUS: *l.* 8 *D. de V. S.* 50, 16.

Non utique existimatur confiteri de intentione adversarius, quocum agitur, quia exceptione utitur. MARCELLUS: *l.* 9 *D. de except.* 44, 1 *(cf. c.* 63 *de R. J. in 6to* 5, 12*)*.

Qui excipit, non fatetur.

Non enim in mora est is, a quo pecunia propter exceptionem peti non potest. PAULUS: *l.* 40 *D. de reb. cred.* 12, 1.

Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri. *o.* 60 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Non videtur cepisse, qui per exceptionem a petitione removetur. ULPIANUS: *l.* 12 *D. de R. J.* 50, 17.

Possidentes exceptionem, non possidentes actionem habent.

Exceptio in iure tertii fundata nemini proficit.

Exceptio firmat regulam (in casibus non exceptis).

Exhibere.

Exhibere est facere in publico potestatem, ut ei, qui agat, experiundi sit copia. PAULUS: *l.* 2 *D. ad exhib.* 10, 4.

Exhibere est in publicum producere. ULPIANUS: *l.* 3 § 8 *D. de hom. lib.* 43, 29.

Exhibere est praesentiam corporis praebere. GAIUS: *l.* 22 *D. de V. S.* 50, 16.

Ad exhibendum possunt agere omnes, quorum interest. PAULUS: *l.* 19 *D. ad exhib.* 10, 4.

Existimatio.

Existimatio est dignitatis illaesae status legibus ac moribus comprobatus, qui ex delicto nostro auctoritate legum aut minuitur aut consumitur. CALLISTRATUS: *l.* 5 § 1 *D. de extraord. cogn.* 50, 13.

Expressum.

Expressa nocent, non expressa non nocent. MODESTINUS: *l.* 195 *D. de R. J.* 50, 17.

Factum.

Quod enim factum est, infectum manere impossibile est. *Nov.* 97 *c.* 1.

Factum non dicitur, ubi aliquid superest faciendum.

Ubi factum requiritur, verba non sufficiunt.

Factum cuique suum, non adversario nocere debet. PAULUS: *l.* 135 *pr. D. de R. J.* 50, 17.

In omnibus causis pro facto accipitur id, in quo

per alium mora fit, quominus fiat. POMPONIUS: *l.* 39 *D. de R. J.* 50, 17.

Femina. Uxor.

Femina est finis familiae.

Mulier familiae suae et caput et finis est. ULPIANUS: *l.* 195 § 5 *D. de V. S.* 50, 16.

Feminae pro infirmitate sexus minus quam masculi ausurae esse creduntur.

Mulieribus tunc succurrendum est, cum defendantur, non ut facilius calumnientur. PAULUS: *l.* 110 § 4 *D. de R. J.* 50, 17.

Deceptis feminis, non decipientibus succurritur.

Non enim pro lucro fovemus mulieres, sed ne damnum patiantur suisque rebus defraudentur, curamus. *L.* 12 § 2 *C. qui pot. in pign.* 8, 18.

Senatus [Scto Velleiano] obligatae mulieri succurrere voluit, non donanti. ULPIANUS: *l.* 4 § 1 *D. ad Sctum Vellej.* 16, 1.

Feminae ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotae sunt. ULPIANUS: *l.* 2 *pr. D. de R. J.* 50, 17.

Feminae tutores dari non possunt [praeterquam mater et avia]. NERATIUS: *l.* 18 *D. de tutelis* 26, 1.

Feminae adoptare non possunt, quia nec naturales liberos in sua potestate habent: sed ex indulgentia principis in solatium liberorum amissorum adoptare possunt. § 10 *J. de adopt.* 1, 11.

Varium et mutabile testimonium semper femina producit. *c.* 10 *X de V. S.* 5, 40.

Defendi uxores a viris aequum est. PAULUS: *l.* 2 *D. de injuriis* 47, 10.

Maritus uxori suae curator creari non potest. * *L.* 2 *C. qui dare tut.* 5, 34.

In honorem matrimonii turpis actio adversus uxorem negatur. GAIUS: *l.* 2 *D. de act. rer. amot.* 25, 2.

Fictio.

Fictio [iuris] naturam imitatur, quantum potest.

Fictio [iuris] idem operatur, quod veritas.

Fictio [iuris] cessat, ubi veritas locum habere potest.

Fideicommissum.

Sciendum est eos demum fideicommissum posse relinquere, qui testandi ius habent. ULPIANUS: *l.* 2 *D. de legatis I.*

Per fideicommissum hereditas codicillis iure relinquitur. § 2 *J. de codicillis* 2, 25.

Nutu etiam relinquitur fideicommissum. PAULUS: *l.* 21 *pr. D. de legatis III.*

In fideicommissis voluntatem spectari convenit. PAPINIANUS: *l.* 57 § 1 *D. ad Sctum Trebell.* 36, 1.

Fideiussio. Fideiussor.

Fideiussores non alias tenentur quam si se quid daturos vel facturos promittant. HERMOGENIANUS: *l.* 65 *D. de fidejuss.* 46, 1.

Fideiubere pro alio potest quisque, etiam si promissor ignoret. GAIUS: *l.* 30 *D. de fidejuss.* 46, 1.

Omni obligationi fideiussor accedere potest. ULPIANUS: *l.* 1 *D. de fidejuss.* 46, 1.

Fideiussores et in partem pecuniae et in partem rei recte accipi possunt. POMPONIUS: *l.* 9 *D. de fidejuss.* 46. 1.

Fideiussor non tenetur ipso iure in maiorem quantitatem, quam reus condemnari potest. PAULUS: *l.* 4 *D. de compens.* 16. 2.

Erroris fideiussio nulla est. PAULUS: *l.* 37 *D. de fidejuss.* 46. 1.

Non possunt conveniri fideiussores liberato reo transactione. PAULUS: *l.* 68 § 2 *D. de fidejuss.* 46. 1.

Quod reus iuravit, etiam fideiussori proficit. PAULUS: *l.* 28 § 1 *D. de jurejur.* 12. 2.

Cum reus moram fecit, et fideiussor tenetur. PAULUS: *l.* 24 § 1 *D. de usuris* 22. 1.

Mora rei fideiussori quoque nocet. PAULUS: *l.* 88 *D. de V. O.* 45. 1.

Debitore liberato per consequentias fideiussor quoque dimittitur. PAPINIANUS: *l.* 19 *D. de dolo malo* 4. 3.

Fideiussor, antequam reus debeat, conveniri non potest. SCAEVOLA: *l.* 57 *D. de fidejuss.* 46. 1.

Omnes exceptiones, quae reo competunt, fideiussori quoque etiam invito reo, competunt. MARCIANUS: *l.* 19 *D. de except.* 44. 1.

Fideiussoris heres exemplo rei principalis tenetur. *L.* 24 *C. de fidejuss.* 8. 41.

Pro fideiussore fideiussorem accipi nequaquam dubium est. ULPIANUS: *l.* 8 § 12 *D. de fidejuss.* 46. 1.

Si plures sint fideiussores, quotquot erunt numero, singuli in solidum tenentur. 4 § *J. de fidejuss.* 3. 21.

Fides [bona, mala].

Omne, quod non est ex fide, peccatum est. *c.* 20 *X de praescr.* 2, 26.

Grave est fidem fallere. ULPIANUS: *l.* 1 *pr. D. de pecun. constit.* 13, 5.

Fides bona contraria est fraudi et dolo. PAULUS: *l.* 3 § 3 *D. pro socio* 17, 2.

Bona fides tantundem possidenti praestat, quantum veritas, quoties lex impedimento non est. PAULUS: *l.* 136 *D. de R. J.* 50, 17.

Ubi lex inhibet usucapionem, bona fides possidenti nihil prodest. POMPONIUS: *l.* 24 *pr. D. de usurp.* 41, 3.

Oportet, ut, qui praescribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae. *c.* 20 *X de praescr.* 2, 26.

Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit. *c.* 2 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Qui contra iura mercatur, bonam fidem praesumitur non habere. *c.* 82 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Qui intelligit alienum se possidere, mala fide possidet. GAIUS: *l.* 38 *D. pro emtore* 41, 3.

Bona fides non patitur, ut bis idem exigatur. GAIUS: *l.* 57 *D. de R. J.* 50, 17.

Fiscus.

Fiscus semper locuples.

Fiscus ex suis contractibus usuras non dat. PAULUS: *l.* 17 § 5 *D. de usuris* 22, 1.

Fiscus semper habet ius pignoris. HERMOGENIANUS: *l.* 46 § 3 *D. de jure fisci* 49, 14.

Fiscus non solet satisdare. ULPIANUS: *l.* 1 § 18 *D. ut legatorum* 36, 3.

In dubio contra fiscum.

Quod semel sumsit, fiscus nunquam reddit.

Flumen.

Publicum flumen esse Cassius definit, quod perenne sit. ULPIANUS: *l.* 1 § 3 *D. de fluminibus* 43, 12.

Perenne est flumen, quod semper fluit.

Formae mutatio.

Mutata forma prope interemit substantiam rei. ULPIANUS: *l.* 9 § 3 *D. ad exhib.* 10, 4.

Fraus. Fraudare. Decipere.

Fraudis interpretatio semper in iure civili non eventu duntaxat, sed ex consilio quoque desideratur. PAPINIANUS: *l.* 79 *D. de R. J.* 50, 17.

Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt et consentiunt. ULPIANUS: *l.* 145 *D. de R. J.* 50, 17.

Decipi non censetur, qui scit se decipi.

Non facit fraudem, qui facit, quod debet.

Fructus.

Omnes fructus rerum natura hominum gratia comparavit. GAIUS: *l.* 28 § 1 *D. de usuris* 22, 1.

Omnis fructus non iure seminis, sed iure soli percipitur. IULIANUS: *l.* 25 *pr. D. de usuris* 22, 1.

Fructus pendentes pars fundi videntur. GAIUS: *l.* 44 *D. de R. V.* 6, 1.

Fructus rei vel pignori dare licet. * IAVOLENUS: *l.* 72 *D. de R. J.* 50, 17.

Quod in fructus redigendos impensum est, non ambigitur ipsos fructus minuere debere. ULPIANUS: *l.* 46 *D. de usuris* 22, 1.

Fructus non modo percepti, sed et qui percipi honeste potuerunt, aestimandi sunt. PAULUS: *l.* 33 *D. de R. V.* 6, 1.

Bonae fidei emtor, quod ad fructus attinet, loco domini paene est. PAULUS: *l.* 48 *pr. D. de acquir. rer. dom.* 41, 1.

Fructus bonae fidei possessores reddere cogendi non sunt, nisi ex his locupletiores exstiterint. *L.* 1 § 1 *C. de pet. her.* 3, 31.

Partus ancillae in fructu non est. GAIUS: *l.* 28 § 1 *D. de usuris* 22, 1.

In fructu hominis homo esse non potest. ULPIANUS: *l.* 68 *pr. D. de usufructu* 7, 1.

Fundus. Solum.

Fundi appellatione omne aedificium et omnis ager continetur. FLORENTINUS: *l.* 211 *D. de V. S.* 50, 16.

Fundus est omne, quidquid solo tenetur. IAVOLENUS: *l.* 115 § 1 *D. de V. S.* 50, 16,

Omne, quod inaedificatur, solo cedit. GAIUS: *l.* 7 § 10 *D. de acquir. rer. dom.* 41, 1.

Aedificia solo cohaerent. VENULEIUS: *l.* 10 *D. quod vi* 43, 24.

Ius soli sequitur aedificium. PAULUS: *l.* 21 *D. de pignor act.* 13, 7.

Superficies ad dominum soli pertinet. ULPIANUS: *l.* 50 *D. ad leg. Aqu.* 9, 2.

Arborum, quae in fundo continentur, non est separatum corpus a fundo. POMPONIUS: *l.* 40 *D. de act. emt.* 19, 2.

Fructus pendentes pars fundi videntur. GAIUS: *l.* 44 *D. de R. V.* 6, 1.

Omnis fructus non iure seminis, sed iure soli percipitur. IULIANUS: *l.* 25 *pr. D. de usuris* 22, 1.

Inundatio speciem fundi non mutat. GAIUS: *l.* 7 § 6 *D. de acquir. rer. dom.* 41, 1.

Furor. Furiosus.

Furiosus absentis loco est. PAULUS: *l.* 124 *D. de R. J.* 50, 17.

Furiosi .... nulla voluntas est. POMPONIUS: *l.* 40 *D. de R. J.* 50, 17 & AFRICANUS: *l.* 47 *D. de acquir. vel omitt. her.* 29, 2.

Furiosus nullum negotium contrahere potest. PAULUS: *l.* 5 *D. de R. J.* 50, 17.

Impune autem puto admittendum, quod per furorem alicuius accidit. POMPONIUS: *l.* 61 *D. de administr. tut.* 26, 7.

Consilio et opera curatoris tueri debet non solum patrimonium, sed et corpus ac salus furiosi. IULIANUS: *l.* 7 *pr. D. de cur. fur.* 27, 10.

Furtum. Fur.

Furtum est contrectatio rei fraudulosa lucri faciendi gratia vel ipsius rei vel etiam usus eius possessionisve. PAULUS: *l.* 1 § 3 *D. de furtis* 47, 2.

Furtum sine affectu furandi non committitur. GAIUS: *l.* 37 *pr. D. de usurp.* 41, 3.

Furtum sine contrectatione fieri non potest nec animo furtum admittatur. PAULUS: *l.* 3 § 18 *D. de acquir. vel amitt. poss.* 41, 2.

Sola cogitatio furti faciendi non facit furem. PAULUS: *l.* 1 § 1 *D. de furtis* 47, 2.

Furtum fit, cum quis indebitos nummos sciens acceperit. SCAEVOLA: *l.* 18 *D. de cond. furt.* 13, 1.

Semper moram fur facere videtur. ULPIANUS: *l.* 8 § 1 *D. de cond. furt.* 13, 1.

Fur manifestus est, qui deprehenditur cum furto. ULPIANUS: *l.* 3 *pr. D. de furtis* 47, 2.

Glans.

Glandis apellatione omnis fructus continetur. GAIUS: *l.* 236 § *D. de V. S.* 50, 16.

Glans caduca est, quae ex arbore cecidit. GAIUS: *l.* 30 § 4 *D. de V. S.* 50, 16.

Hereditas. Heres.

Hereditas nihil aliud est quam successio in universum ius, quod defunctus habuit. GAIUS: *l.* 24 *D. de V. S.* 50, 16.

Hereditas etiam sine ullo corpore iuris intellectum habet. PAPINIANUS: *l.* 50 *per. D. de her. pet.* 5, 3.

Hereditas personae vice fungitur, sicuti municipium et decuria et societas. FLORENTINUS: *l.* 22 *D. de fidejuss.* 46, 1.

Hereditas personae defuncti, qui eam reliquit, vice fungitur. FLORENTINUS: *l.* 116 § 3 *D. de legatis I.*

Hereditas non heredis personam, sed defuncti sustinet. ULPIANUS: *l.* 34 *D. de acquir. rer. dom.* 41, 1.

Creditum est hereditatem dominam esse, defuncti locum obtinere. GAIUS: *l.* 31 § 1 *D. de her. inst.* 28, 5.

Heres et hereditas . . . . unius personae vice funguntur. IAVOLENUS: *l.* 22 *D. de usurp.* 41, 3.

Una est quodammodo persona heredis et eius, qui in eum transmittit hereditatem. ULPIANUS: *l.* 3 § 11 *D. de suis et leg.* 38, 16.

Heres eiusdem potestatis iurisque est, cuius fuit defunctus. ULPIANUS: *l.* 59 *D. de R. J.* 50, 17.

Nemo plus commodi heredi suo relinquit, quam ipse habuit. PAULUS: *l.* 120 *D. de R. J.* 50, 17.

In poenam heres non succedit. MARCELLUS: *l.* 22 *D. de O. N. N.* 39, 1.

Heres succedit in vitia realia defuncti.

Venisse ad heredem nihil intelligitur nisi deducto aere alieno. POMPONIUS: *l.* 165 *D. de V. S.* 50, 16.

Tantum quisque pecuniae reliquit, quantum ex bonis eius refici potest. CELSUS: *l.* 88 *D. de V. S.* 50, 16.

In quantitate patrimonii exquirenda visum est mortis tempus spectari. GAIUS: *l.* 73 *D. ad leg. Falc.* 35, 2.

Hereditatis appellatio sine dubio continet etiam damnosam hereditatem. POMPONIUS: *l.* 119 *de V. S.* 50, 16.

Possessionem hereditas non habet. ULPIANUS: *l.* 1 § 15 *D. si is qui test.* 47, 4.

Quamdiu hereditas iacet, possessio nullius est.

Legitima hereditas est, quae ab intestato defertur.

Legitima hereditas tantum proximo defertur.

Post decem menses mortis natus non admittetur ad legitimam hereditatem. ULPIANUS: *l.* 3 § 11 *D. de suis et leg.* 38, 16.

Quamdiu potest ex testamento adiri hereditas, ab intestato non defertur. ULPIANUS: *l.* 39 *D. de acquir. her.* 29, 2.

Qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus. *c.* 13 *X de testam.* 3, 26.

Non est sine herede, qui suum heredem habet licet abstinentem se. ULPIANUS: *l.* 30 § 10 *D. de fideicomm. libert.* 40, 5.

In suis heredibus aditio non est necessaria, quia statim ipso iure heredes existunt. GAIUS: *l.* 14 *D. de suis et leg.* 38, 16.

Heres quandocunque adeundo hereditatem iam tunc a morte successisse defuncto intelligitur. FLORENTINUS: *l.* 54 *D. de acquir. her.* 29, 2.

Cum semel adita est hereditas, omnis defuncti voluntas rata constituitur. PAPINIANUS: *l.* 55 § 2 *D. ad Sctum Treb.* 36, 1.

Semel heres semper heres. *[cf. L.* 88 *D. de her. inst.* 28, 5.*]*

Nolle adire hereditatem non videtur, qui non potest adire. ULPIANUS: *l.* 4. *D. de aquir. her.* 29, 2.

Hereditatis aditio in dubio non praesumitur.

Non vult heres esse, qui ad alium transferre voluit hereditatem. ULPIANUS: *l.* 6 *D. de R. J.* 50, 17.

In repudianda hereditate vel legato certus esse debet de suo iure is, qui repudiat. POMPONIUS: *l.* 23 *D. de acquir. her.* 29, 2.

Delata hereditas intelligitur, quam quis possit adeundo consequi. TERENTIUS CLEMENS: *l.* 151 *D. de V. S.* 50, 16.

Hereditas non delata non transmittitur ad heredes.

Uni duo pro solido heredes esse non possunt. PAULUS: *l.* 141 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Ea, quae in partes dividi non possunt, solida a singulis heredibus debentur. MARCELLUS: *l.* 192 *pr. D. de R. J.* 50, 17.

Erciscere est dividere communem hereditatem.

Pro herede possidet, qui putat se heredem esse. ULPIANUS: *l.* 11 *D. de her. pet.* 5, 3.

Honestum.

Non omne, quod licet, honestum est. PAULUS: *l.* 144 *pr. D. de R. J.* 50, 17.

Semper in coniunctionibus non solum, quid liceat, considerandum est, sed et quid honestum sit. MODESTINUS: *l.* 197 *D. de R. J.* 50, 17.

Impensae.

Impensae necessariae sunt, quae, si factae non essent, res aut peritura aut deterior futura sit; utiles, quae meliorem rem faciunt; voluptariae, quae speciem duntaxat ornant, non etiam fructus augent. PAULUS: *l.* 79 *D. de V. S.* 50, 16.

Necessariae impensae dotem minuunt. ULPIANUS: *l.* 5 *pr. D. de impensis* 25, 1.

Imperitia.

Imperitia culpae adnumeratur. GAIUS: *l.* 132 *D. de R. J.* 50, 17.

Impossibile.

Impossibile habetur id, cui natura impedimento est, quominus existat. * § 11 *J. de inut. stipul.* 3, 20.

Quod impossibile est, neque pacto neque stipulatione potest comprehendi. ULPIANUS: *l.* 31 *D. de R. J.* 50, 17.

Quae rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata sunt. CELSUS: *l.* 188 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Impossibilium nulla obligatio est. CELSUS: *l.* 185 *D. de R. J.* 50, 17.

Nemo potest ad impossibile obligari. *c.* 6 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Ad impossibilia nulla datur obligatio.

Ea, quae dari impossibilia sunt vel quae in rerum natura non sunt, pro non adiectis habentur. ULPIANUS: *l.* 135 *D. de R. J.* 50, 17.

Si impossibilis conditio obligationibus adiiciatur, nihil valet stipulatio. § 11 *J. de inut. stipul.* 3, 20.

Impossibilis conditio in ultimis voluntatibus pro non scripta habetur. * § 10 *J. de her. inst.* 2, 14.

Impossibiles conditiones testamento adscriptae pro nullis habendae sunt. ULPIANUS: *l.* 3 *D. de cond. et dem.* 35, 1.

Si sub impossibili conditione stipulatus sim, fideiussor adhiberi non potest. PAULUS: *l.* 29 *D. de fidej.* 46, 1.

Impubes. Pupillus.

Impubes omnibus officiis civilibus debet abstinere. ULPIANUS: *l.* 2 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Impuberes sine tutore agentes nihil posse scire intelliguntur. PAPINIANUS: *l.* 10 *D. de j. et f. ign.* 22, 6.

Praetor parvulis subvenit. MARCIANUS: *l.* 55 § 1 *D. de fid. lib.* 40, 5.

In parvulis nulla deprehenditur culpa. MARCIANUS: *l.* 55 § 1 *D. de fid. lib.* 40, 5.

Pupillus est, qui, cum impubes est, desiit in patria potestate esse. POMPONIUS: *l.* 239 *pr. D. de V. S.* 50, 16.

Non est pupillus, qui in utero est. ULPIANUS: *l.* 161 *D. de V. S.* 50, 16.

Educatio pupillorum nulli magis quam matri eorum .... committenda est. *L.* 1 *C. ubi pup. educ.* 5, 49.

Pupillus sine tutoris auctoritate non obligatur iure civili. PAULUS: *l.* 43 *D. de O. et A.* 44, 7.

Si pupillus praesens sit, tutorem autem non habeat, pro absente habendus est. ULPIANUS: *l.* 10 *D. quib. ex caus. in poss.* 42, 4.

Pupillo solvi sine tutoris auctoritate non potest. PAULUS: *l.* 15 *D. de solut.* 46, 3.

Meliorem conditionem suam facere pupillo etiam sine tutoris auctoritate concessum est. GAIUS: *l.* 28 *D. de pactis* 2, 14.

Pupillus omnia tutore auctore agere potest. PAULUS: *l.* 5 *D. de R. J.* 50, 17.

Testamenti factio concessa pupillis non est. ULPIANUS: *l.* 1 § 1 *D. de tut. act.* 27, 3.

Tutor non rebus duntaxat, sed etiam moribus pupilli praeponitur. PAULUS: *l.* 12 § 3 *D. de admin. tut.* 26, 7.

Curator pupillo non datur, si tutor eius adfuerit. * CELSUS: *l.* 11 *D. de tut. et cur.* 26, 5.

Pupillus pati posse non intelligitur. PAULUS: *l.* 110 § 2 *D. de R. J.* 50, 17.

Inculpata tutela.

Quod quisque ad tutelam corporis sui fecerit, id iure fecisse existimatur.

Adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere. GAIUS: *l.* 4 *pr. D. ad leg. Aquil.* 9, 2.

Vim vi defendere omnes leges omniaque iura permittunt. PAULUS: *l.* 45 § 4 *D. ad leg. Aquil.* 9, 2.

Vim vi repellere licet. ULPIANUS: *l.* 1 § 27 *D. de vi* 43. 16.

Indebitum.

Indebitum est non tantum, quod omnino non debetur, sed et quod alii debetur, si alii solvatur, aut si id, quod alius debebat, alius, quasi ipse debeat, solvat. PAULUS: *l.* 65 § 9 *D. de cond. indeb.* 12, 6.

Indebitum solutum accipimus, non solum si omnino non debeatur, sed et si per aliquam exceptionem per-

petuam peti non poterat. ULPIANUS: *l.* 26 § 3 *D. de cond. indeb.* 12, 6.

Quod indebitum per errorem solvitur, aut ipsum aut tantundem repetitur. POMPONIUS: *l.* 7 *D. de cond. indeb.* 12, 6.

Cum quis ius ignorans indebitam pecuniam solverit, cessat repetitio. *L.* 10 *C. de j. et f. ign.* 1, 18.

Infans.

Infans et qui infantiae proximus est, non multum a furioso distant, quia huiusmodi aetatis pupilli nullum habent intellectum. § 10 *J. de inut. stipul.* 3, 20.

Nullus sensus est infantis accipiendi possessionem. PAULUS: *l.* 32 § 2 *D. de acqu. poss.* 41, 2.

In parvulis nulla deprehenditur culpa. MARCIANUS: *l.* 55 § 1 *D. de fid. lib.* 40, 5.

Praetor parvulis subvenit. MARCIANUS: *l.* 55 § 1 *D. de fid. lib.* 40, 5.

Infitiatio.

Infitiari est creditum fraudare. FESTUS.

Infitiando depositum nemo facit furtum. CELSUS: *l.* 67 *pr. D. de furtis* 47, 2.

Infitiatio non est furtum.

Lis infitiando crescit in duplum.

Ingratitudo.

Ingratus ex solo conatu nemo iudicatur.

Ingratum faciunt atrox iniuria, damnum,
Impia dextra, fides fracta, pericla necis.

Iniuria.

Iniuria est omne, quod non iure fit. ULPIANUS: *l.* 1 *pr. D. de injuriis* 47, 10 *(cf. l.* 5 § 1 *D. ad leg. Aquil.* 9, 2*)*.

Iniuriae sunt, quae aut pulsatione corpus aut convicio mores aut aliqua turpitudine vitam alicuius violant. *Auctor. ad Herenn.* 4, 25.

Spectat ad nos iniuria, quae his fit, qui vel potestati nostrae vel affectui subiecti sunt. ULPIANUS: *l.* 1 § 3 *D. de injuriis* 47, 10.

Crescit contumelia ex persona eius, qui contumeliam fecit. ULPIANUS: *l.* 17 § 3 *D. de injuriis* 47, 10.

Facere iniuriam nemo, nisi qui scit se iniuriam facere, potest. ULPIANUS: *l.* 3 § 2 *D. de injuriis* 47, 10.

Nullam potest videri iniuriam accipere, qui semel voluit. PAULUS: *l.* 9 § 1 *D. de aqua* 39, 3.

Volenti non fit iniuria.

Scienti et consentienti non fit iniuria neque dolus. *c.* 27 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Iuris executio non habet iniuriam. ULPIANUS: *l.* 13 § 1 *D. de injuriis* 47, 10.

Qui iure suo utitur, nemini facit iniuriam.

Innocens. Nocens.

Latius est impunitum relinqui facinus nocentis quam innocentem damnari. ULPIANUS: *l.* 5 *pr. D. de poenis* 48, 19.

In solidum.

Si duo quasi duo rei constituerimus, vel cum altero

agi poterit in solidum. ULPIANUS: *l.* 16 *pr. D. de pecun. const.* 13, 5.

Si plures sint fideiussores, quotquot erunt numero, singuli in solidum tenentur. § 4 *J. de fidej.* 3, 21.

Si plures navem exerceant, cum quolibet eorum in solidum agi potest. ULPIANUS: *l.* 1 § 25 *D. de exerc. act.* 14, 1.

Duorum in solidum dominium esse non potest. ULPIANUS: *l.* 5 § 15 *D. commodati* 13, 6.

Plures eandem rem in solidum possidere non possunt. PAULUS: *l.* 3 § 5 *D. de acqu. poss.* 41, 2.

Uni duo pro solido heredes esse non possunt. PAULUS: *l.* 141 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Interesse.

Quatenus cuiusque interest, in facto, non in iure consistit. PAULUS: *l.* 24 *D. de R. J.* 50, 17.

Quod interest, dupli quantitatem minime excedit. *L. un. C. de sent. quae* 7, 47.

Id quod interest, non solum ex damno dato constat, sed etiam ex lucro cessante.

Interesse eius videtur, qui damnum passurus est, non eius, qui lucrum facturus esset. IAVOLENUS: *l.* 71 § 1 *D. de furtis* 47, 2.

Interpretatio.

Minime sunt mutanda, quae interpretationem certam semper habuerunt. PAULUS: *l.* 23 *D. de legg.* 1, 3.

Ubi lex non distinguit, nec nostrum est distinguere.

Interpretatione legum poenae molliendae sunt potius quam asperandae. HERMOGENIANUS: *l.* 42 *D. de poenis* 48, 19.

In poenalibus causis benignius interpretandum est. PAULUS: *l.* 155 § 2 *D. de R. J.* 50, 17.

Benignius leges interpretandae sunt, quo voluntas earum conservetur. CELSUS: *l.* 18 *D. de legg.* 1, 3.

In ambigua voce legis ea potius accipienda est significatio, quae vitio caret. CELSUS: *l.* 19 *D. de legg.* 1, 3.

In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus iustius est quam tutius. MARCELLUS: *l.* 192 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Optima est legum interpres consuetudo. CALLISTRATUS: *l.* 37 *D. de legg.* 1, 3.

Interpretatio est contra eum facienda, qui clarius loqui debuisset.

Cum in testamento ambigue aut etiam perperam scriptum est, benigne interpretari et secundum id, quod credibile est cogitatum, credendum est. MARCELLUS: *l.* 24 *D. de reb. dub.* 34, 5.

Nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitaverit. CELSUS: *l.* 19 *D. de legg.* 1, 3.

Expressio specialis omnem impedit extensionem.

Interventio.

Interveniens vice actoris fungitur.

Iocus.

Iocus consensui adversatur.

Qui iocatur, non mentitur.

Quod per iocum fit, non est sinistre interpretandum.

Iracundia.

Quidquid in calore iracundiae vel fit vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseverantia apparuit iudicium animi fuisse. PAULUS: *l.* 48 *D. de R. J.* 50, 17.

Iter. Actus. Via.

Iter est, qua quis pedes vel eques commeare potest. MODESTINUS: *l.* 12 *D. de serv. pr. r.* 8, 3.

Iter est ius eundi ambulandi hominis. ULPIANUS: *l.* 1 *pr. D. de serv. pr. r.* 8, 3.

Actus est ius agendi vel iumentum vel vehiculum. ULPIANUS: *l.* 1 *pr. D. de serv. pr. r.* 8, 3.

Via est ius eundi et agendi et ambulandi. ULPIANUS: *l.* 1 *pr. D. de serv. pr. r.* 8, 3.

Qui actum habet, et iter habet etiam sine iumento. ULPIANUS: *l.* 1 *pr. D. de serv. pr. r.* 8, 3.

Qui habet iter, actum non habet. *pr. J. de jure praed.* 2, 3.

Qui habet haustum, iter quoque habere videtur ad hauriendum. ULPIANUS: *l.* 3 § 3 *D. de serv. pr. r.* 8, 3.

Iudex. Iudicium. Iurisdictio. Forum.

Non exemplis, sed legibus est iudicandum. *L.* 13 *C. de sentent.* 7, 45.

Iura novit curia.

Minima non curat praetor.

Ubi coeptum est semel iudicium, ibi et finem accipere debet. MARCELLUS: *l.* 30 *D. de judiciis* 5, 1.

Cui iurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus iurisdictio explicari non potuit. IAVOLENUS: *l.* 2 *D. de jurisdict.* 2, 1.

Nemo, qui condemnare potest, absolvere non potest. ULPIANUS: *l.* 37 *D. de R. J.* 50, 17.

Iudex non debet lege clementior esse.

Ubicunque causa cognitio est, ibi praetor desideratur. PAULUS: *l.* 105 *D. de R. J.* 50, 17.

Nullo actore nullus iudex.

Ubi domicilium reus habet vel tempore contractus habuit, licet hoc postea transtulerit, ibi tantum eum conveniri oportet. *L.* 2 *C. de jurisd.* 3, 13.

Non reus actoris, sed actor rei forum sequitur.

Actor rei forum sequitur. *L.* 3 *C. ubi in rem a.* 3, 19.

Extra territorium ius dicenti impune non paretur. PAULUS: *l.* 20 *D. de jurisd.* 2, 1.

Iudex extra territorium est privatus.

Iudici incompetenti impune non paretur,

Qui se iudicis incompetentis iurisdictioni semel subiecit, illius iurisdictionem agnoscere videtur.

Factum a iudice, quod ad officium eius non pertinet, ratum non est. PAULUS: *l.* 170 *D. de R. J.* 50, 17.

Iudex ad certam rem datus, si de aliis pronuntiavit, quam quod ad eam rem pertinet, nihil egit. *L.* 1 *C. si a non comp.* 7, 48.

Non potest videri in iudicium venisse id, quod post

iudicium acceptum accidisset. PAULUS: *l.* 23 *D. de judiciis* 5. 1.

In iudiciis non est acceptio personarum habenda. *c.* 12 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Generali lege decernimus neminem sibi esse iudicem vel ius sibi dicere debere. *L. un. C. ne quis in sua* 3, 5.

Iudex tunc litem suam facere intelligitur, cum dolo malo in fraudem legis sententiam dixerit. ULPIANUS: *l.* 15 § 1 *D. de judiciis* 5, 1.

Pro iudice iura praesumunt.

Par iudex in parem non habet imperium.

Inferior iudex non potest tollere legem superioris.

Iurisdictio est etiam iudicis dandi licentia. ULPIANUS: *l.* 3 *D. de jurisd.* 2, 1.

Iurisprudentia.

Iurisprudentia est divinarum atque humanarum rerum notitia, iusti atque iniusti scientia. ULPIANUS: *l.* 10 § 2 *D. de just.* 1, 1.

Ius.

Ius est ars boni et aequi. CELSUS: *l.* 1 *pr. D. de just.* 1. 1.

Omne ius aut consensus fecit aut necessitas constituit aut firmavit consuetudo. MODESTINUS: *l.* 40 *D. de legg.* 1, 3.

Hominum causa omne ius constitutum est. HERMOGENIANUS: *l.* 2 *D. de statu hom.* 1, 5.

Pleraque in iure non legibus, sed moribus constant. *Quinct. J. O.* 5, 3.

Summum ius summa [saepe] iniuria. *Cic. Off.* 1, 10 *(ex Ter. Heaut.* 4, 5, 48*)*.

Quantum est enim ius in civitate esse, nisi sint, qui iura regere possint? POMPONIUS: *l.* 2 § 13 *D. de orig. jur.* 1, 2.

Iuris praecepta sunt haec: honeste vivere, alterum non laedere, suum cuique tribuere. ULPIANUS: *l.* 10 § 1 *D. de just.* 1, 1.

In omnibus quidem, maxime tamen in iure, aequitas spectanda sit. PAULUS: *l.* 90 *D. de R. J.* 50, 17.

Quod quisque iuris in alterum statuit, eodem et ipse uti debet. * *Inscr. l.* 1 *D. quod quisque* 2, 2.

Nullus videtur dolo facere, qui suo iure utitur. GAIUS: *l.* 55 *D. de R. J.* 50, 17.

Non videtur vim facere, qui iure suo utitur. PAULUS: *l.* 155 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Qui iure suo utitur, neminem laedit.

Nemo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere ius non habet. PAULUS: *l.* 151 *D. de R. J.* 50, 17.

De suo enim, non de alieno iure quemque agere oportet. ULPIANUS: *l.* 5 *pr. D. si ususfr.* 7, 6.

Omnia, quae iure contrahuntur, contrario iure pereunt. GAIUS: *l.* 100 *D. de R. J.* 50, 17.

Resoluto iure concedentis resolvitur ius concessum.

Iure dantis confirmato confirmatur ius accipientis.

A iure suo nemo recedere praesumitur.

Nemo plus iuris ad alium transferre potest, quam ipse habet. ULPIANUS: *l.* 54 *D. de R. J.* 50, 17.

Traditio nihil amplius transferre debet vel potest ad eum, qui accipit, quam est apud eum, qui tradit. ULPIANUS: *l.* 20 *pr. D. de acquir. rer. dom.* 41, 1.

Qui in ius dominiumve alterius succedit, iure eius uti debet. PAULUS: *l.* 177 *D. de R. J.* 50, 17.

Non debeo melioris conditionis esse quam auctor meus, a quo ius in me transit. PAULUS: *l.* 175 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Nemo plus commodi heredi suo relinquit, quam ipse habuit. PAULUS: *l.* 120 *D. de R. J.* 50, 17.

Nemo id ius, quod non habet, amittere potest.

Ius posterius derogat priori.

Minima circumstantia variat ius.

Iura novit curia.

Iura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur. ULPIANUS: *l.* 8 *D. de legg.* 1, 3.

Ex his, quae forte uno aliquo casu accidere possunt, iura non constituuntur. CELSUS: *l.* 4 *D. de legg.* 1, 3.

Quae a iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda. *c.* 28 *de R. J. in* 6*to* 5, 12.

In his, quae contra rationem iuris constituta sunt, non possumus sequi regulam iuris. IULIANUS: *l.* 15 *D. de legg.* 1, 3.

Quoties pactum a iure communi remotum est, servari hoc non oportet.

Quae dubitationis tollendae causa contractibus inseruntur, ius commune non laedunt. PAPINIANUS: *l.* 81 *D. de R. J.* 50, 17.

Ius singulare est, quod contra tenorem rationis

propter aliquam utilitatem auctoritate constituentium introductum est. PAULUS: *l.* 16 *D. de legg.* 1, 3.

Ius civile.

Ius civile est, quod quisque populus sibi ipse constituit. * GAIUS: *l.* 9 *D. de just.* 1, 1.

Iura sanguinis nullo iure civili dirimi possunt. POMPONIUS: *l.* 8 *D. de R. J.* 50, 17.

Naturalia iura civilis ratio perimere non potest. § 11 *J. de hered.* 3, 1.

Civilis ratio civilia quidem iura corrumpere potest, naturalia vero non utique. GAIUS: *l.* 8 *D. de cap. min.* 4, 5.

Ius gentium.

Ius gentium est, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit. GAIUS: *l.* 9 *D. de just.* 1, 1.

Ius gentium est, quo gentes humanae utuntur. ULPIANUS: *l.* 1 § 4 *D. de just.* 1, 1.

Ius honorarium.

Ius honorarium dicitur, quod ab honore praetoris venerat. POMPONIUS: *l.* 2 § 10 *D. de orig. jur.* 1, 2.

Ius naturale.

Ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit. ULPIANUS: *l.* 1 § 3 *D. de just.* 1, 1.

Naturalia iura civilis ratio perimere non potest. § 11 *J. de hered.* 3, 1.

Civilis ratio civilia quidem iura corrumpere potest,

naturalia vero non utique. GAIUS: *l.* 8 *D. de capite min.* 4, 5.

Naturali iuri consuetudine derogari non potest.

Quod ius naturale attinet, omnes homines aequales sunt. ULPIANUS: *l.* 32 *D. de R. J.* 50, 17.

Ius publicum. Ius privatum.

Publicum ius est, quod ad statum rei Romanae spectat; privatum, quod ad singulorum utilitatem. ULPIANUS: *l.* 1 § 2 *D. de just* 1, 1.

Nemo ius publicum remittere potest. ULPIANUS: *l.* 5 § 7 *D. de admin. tut.* 26, 7.

Ius publicum privatorum pactis mutari non potest. PAPINIANUS: *l.* 38 *D. de pactis* 2, 14.

Privatorum conventio iuri publico non derogat. ULPIANUS: *l.* 45 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Iusiurandum.

Iusiurandum vicem rei iudicatae obtinet. ULPIANUS: *l.* 1 *pr. D. quarum rerum* 44, 5.

Iusiurandum speciem transactionis continet maioremque habet auctoritatem quam res iudicata. PAULUS: *l.* 2 *D. de jurej.* 12, 2.

Iusiurandum etiam loco solutionis cedit. GAIUS: *l.* 27 *D. de jurej.* 12, 2.

Iuramentum ad incogitata non extenditur.

Manifestae turpitudinis et confessionis est nolle nec iurare nec iusiurandum referre. PAULUS: *l.* 38 *D. de jurej.* 12, 2.

Prodigus, si deferat iusiurandum, audiendus non est. PAULUS: *l.* 35 § 1 *D. de jurej.* 12, 2.

Omni enim modo custodiri debet iusiurandum adversus eum qui contentus eo, cum deferret, fuit. PAULUS: *l.* 26 *pr. D. de jurej.* 12, 2.

Iurare non cogitur, qui sufficienter probat.

Iusiurandum alteri neque podest neque nocet. ULPIANUS: *l.* 3 § 3 *D. de jurej.* 12, 2.

Non est obligatorium contra bonos mores praestitum iuramentum. *c.* 58 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Iussus.

Qui iussu iudicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, quia parere necesse habet. PAULUS: *l.* 167 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Quod quis mandato facit iudicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse. *c.* 24 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Is damnum dat, qui iubet dare: eius vero nulla culpa est, cui parere necesse est. PAULUS: *l.* 169 *pr. D. de R. J.* 50, 17.

Qui iussu alterius cum aliquo contrahit, quodammodo cum eo contrahit, qui iubet, dum fidem eius sequitur.

Quod iussu alterius solvitur, pro eo est, quasi ipsi solutum esset. PAULUS: *l.* 180 *D. de R. J.* 50, 17.

Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris vel domini. ULPIANUS: *l.* 4 *D. de R. J.* 50, 17.

Iustitia.

Iustitia est constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi. ULPIANUS: *l.* 10 *pr. D. de just.* 1, 1.

Lacus. Stagnum.

Lacus est, quod perpetuam habet aquam. ULPIANUS: *l.* 1 § 3 *D. ut in flumine* 43, 14.

Stagnum est, quod temporalem contineat aquam ibidem stagnantem. ULPIANUS: *l.* 1 § 4 *D. ut in flumine* 43, 14.

Legatum.

Legatum est donatio quaedam a defuncto relicta ab herede praestanda. § 1 *J. de legatis* 2, 20.

Legatum est donatio testamento relicta. MODESTINUS: *l.* 36 *D. de legatis II.*

Legatum est delibatio hereditatis, qua testator ex eo, quod universum heredis foret, alicui quid collocatum velit. FLORENTINUS: *l.* 116 *D. de legatis I.*

Per omnia exaequata sunt legata fideicommissis. ULPIANUS: *l.* 1 *D. de legatis I.*

Legata non debentur, nisi deducto aere alieno aliquod supersit. PAULUS: *l.* 65 § 1 *D. ad leg. Falc.* 35, 2.

Legatum in aliena voluntate poni potest, in heredis non potest. ULPIANUS: *l.* 43 § 2 *D. de legatis I.*

Heredi a semet ipso legatum dari non potest, a coherede potest. FLORENTINUS: *l.* 116 § 1 *D. de legatis II.*

In alienam voluntatem conferri legatum non potest. MODESTINUS: *l.* 52 *D. de condit.* 35, 1.

Legari illis solum potest, cum quibus testamenti factio est. § 24 *J. de legatis* 2, 20.

Captatoriae scripturae simili modo neque in hereditatibus neque in legatis valent. GAIUS: *l.* 64 *D. de legatis I.*

Supervacua scriptura non nocet legato. PAULUS: *l.* 26 § 1 *D. de adim. leg.* 34, 4.

Certo corpore legato demonstratio falsa posita non perimit legatum. POMPONIUS: *l.* 10 *D. de auro* 34, 2.

Falsa demonstratio aut falsa causa legato adiecta non nocet.

Legatorum nomine is videtur possidere, cui legatum est. ULPIANUS: *l.* 1 *D. pro legato* 41, 8.

Pro legato usucapit, cui recte legatum relictum est. HERMOGENIANUS; *l.* 9 *D. pro legato* 41, 8.

Lex.

Lex est commune praeceptum. PAPINIANUS: *l.* 1 *D. de legg.* 1, 3.

Iura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur. ULPIANUS: *l.* 8 *D. de legg.* 1, 3.

Omnes legibus regantur. *L.* 10 *C. de legg.* 1. 14.

Legis virtus haec est: imperare, vetare, permittere, punire. MODESTINUS: *l.* 7 *D. de legg.* 1, 3.

Finis legum consistit in acquirendo, conservando, minuendo.

Scire leges non hoc est verba earum tenere, sed vim ac potestatem. CELSUS: *l.* 17 *D. de legg.* 1, 3.

Constitutiones principum nec ignorare quemquam nec dissimulare permittimus. *L.* 12 *C. de j. et f. ign.* 1, 18.

Lex semper loquitur.

Benignius leges interpretandae sunt, quo voluntas earum conservetur. CELSUS: *l.* 18 *D. de legg.* 1, 3.

Interpretatione legum poenae molliendae sunt potius quam asperandae. HERMOGENIANUS: *l.* 42 *D. de poenis* 48, 19.

Optima est legum interpres consuetudo. CALLISTRATUS: *l.* 37 *D. de legg.* 1, 3.

Ubi lex non distinguit. nec nostrum est distinguere.

Cessante ratione legis cessat lex ipsa.

In ambigua voce legis ea potius accipienda est significatio quae vitio caret. CELSUS: *l.* 19 *D. de legg.* 1, 3.

Ubi eadem legis ratio, ibi eadem legis dispositio.

Cum lex in praeteritum quid indulget, in futurum vetat. ULPIANUS: *l.* 22 *D. de legg.* 1, 3.

Quae rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata sunt. CELSUS: *l.* 188 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Quod raro fit, non observant legislatores. *Nov.* 94 *c.* 2.

Ex his, quae forte uno aliquo casu accidere possunt iura non constituuntur, CELSUS: *l.* 4 *D. de legg.* 1, 3.

Leges et constitutiones futuris certum est dare formam negotiis, non ad facta praeterita revocari, nisi nominatim et de praeterito tempore et adhuc pendentibus negotiis cautum sit. *L.* 7 *C. de legg.* 1, 14.

Lex posterior ad priora trahi nequit.

Lex posterior derogat priori.

Lex posterior generalis non derogat priori speciali.

Lex specialis derogat generali.

Ea, quae contra leges fiunt, pro infectis habenda sunt. *L.* 14 § 1 *C. de sacros. eccl.* 1, 2.

Contra legem facit, qui id facit, quod lex prohibet. PAULUS: *l.* 29 *D. de legg.* 1, 3.

Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quae sequuntur ex illo. *c.* 39 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti. *c.* 84 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Non exemplis, sed legibus est iudicandum. *L.* 13 *C. de sententiis* 7, 45.

Non praebemus luxuriantibus, sed caste viventibus legem. *Nov.* 18 *c.* 5.

Durum hoc est, sed ita lex scripta est. ULPIANUS: *l.* 12 § 1 *D. qui et a quibus* 40, 9.

Lex est, quod populus Romanus senatorio magistratu interrogante veluti consule constituebat. § 4 *J. de jure nat.* 1, 2.

Liberi. Parentes.

Liberorum appellatio omnes descendentes complectitur.

Filiorum appellatione omnes, qui ex nobis descendunt, continentur. CALLISTRATUS: *l.* 220 § 3 *D. de V. S.* 50, 16.

Una est omnibus parentibus servanda reverentia. PAULUS: *l.* 6 *D. de in jus voc.* 2, 4.

Pietas parentibus, etsi inaequalis est eorum potestas, aequa debebitur. ULPIANUS: *l.* 4 *D. de cur. fur.* 27, 10.

Cum legitimae nuptiae factae sunt, patrem liberi sequuntur: vulgo quaesitus matrem sequitur. CELSUS: *l.* 19 *D. de statu hom.* 1, 5.

Qui nascitur sine legitimo matrimonio, matrem sequitur. ULPIANUS: *l.* 24 *D. de statu hom.* 1, 5.

Eius, qui iustum patrem non habet, prima origo a matre eoque die, quo ex ea editus est, numerari debet. NERATIUS: *l.* 9 *D. ad muncip.* 50, 1.

Interest nostra animum liberorum nostrorum non corrumpi. PAULUS: *l.* 14 § 1 *D. de servo corr.* 11, 3.

Libertas. Liberi homines.

Libertas est naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut iure prohibetur. FLORENTINUS: *l.* 4 *pr. D. de statu hom.* 1, 5.

Libertas omnibus rebus favorabilior est. GAIUS: *l.* 122 *D. de R. J.* 50, 17.

Libertas inaestimabilis res est. PAULUS: *l.* 106 *D. de R. J.* 50, 17.

Libertas pecunia lui non potest. ULPIANUS: *l.* 9 § 2 *D. de statu lib.* 40, 7.

Liberum corpus aestimationem non recipit. GAIUS: *l.* 3 *D. si quadrupes paup.* 9, 1.

In homine libero nulla corporis aestimatio fieri potest. ULPIANUS: *l.* 1 § 5 *D. de his, qui eff.* 9, 3.

Infinita aestimatio est libertas. PAULUS: *l.* 176 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Aestimatio libertatis ad infinitum extenditur. * VENULEIUS: *l.* 8 § 2 *D. ratt. rem. hab.* 46, 8.

Multa contra iuris rigorem pro libertate sunt con-

stituta. ULPIANUS: *l.* 24 § 10 *D. de fideicomm. lib.* 40, 5.

Nemo prohibendus est libertati favere. ULPIANUS: *l.* 3 § 9 *D. de hom. lib.* 43, 29.

In obscura voluntate manumittentis favendum est libertati. PAULUS: *l.* 179 *D. de R. J.* 50. 17.

In obscuro libertas praevalet. MARCIANUS: *l.* 50 *D. de fideicomm. lib.* 40, 5.

Quoties dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem respondendum erit. POMPONIUS: *l.* 20 *D. de R. J.* 50, 17.

Libertas ad tempus dari non potest. PAULUS: *l.* 33 *D. de manumiss. test.* 40, 4.

Licitum.

Non omne, quod licet, honestum est. PAULUS: *l.* 144 *pr. D. de R. J.* 50, 17.

Non solum, quid liceat, considerandum est, sed et quid honestum sit. MODESTINUS: *l.* 197 *D. de R. J.* 50, 17.

Non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere. ULPIANUS: *l.* 21 *D. de R. J.* 50, 17 [*cf. c.* 53 *de R. J. in 6to* 5, 12].

Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit. *c.* 67 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Lis. Litis contestatio.

Litis nomen omnem actionem significat. ULPIANUS: *l.* 36 *D. de V. S.* 50, 16.

Non enim sufficit litem instituere, si non in ea

perseveres. PAPINIANUS: *l.* 15 § 1 *D. de inoff. test.* 5. 2.

Qui liti se obtulit, cum rem non possideret, condemnatur. CELSUS: *l.* 45 *D. de hered. pet.* 5. 3.

Pendente lite nihil innovandum.

Ubi coepta est, ibi lis est et finienda est.

Lis inficiando crescit in duplum.

Lis tunc contestata videtur, cum iudex per narrationem negotii causam audire coeperit. *L. un. C. de litis contest.* 3, 9.

Ea, quaecunque post litis contestationem contingunt, arbitrium iudicis desiderant. ULPIANUS: *l.* 31 § 13 *D. de aedil. ed.* 21, 1.

Litora. Ripae.

Litus est, quousque maximus fluctus a mari pervenit. CELSUS: *l.* 96 *pr. D. de V. S.* 50. 16.

Est autem litus maris, quatenus hibernus fluctus maximus excurrit. § 3 *J. de rer. div.* 2, 1.

Litus publicum est eatenus, qua maxime fluctus exaestuat. IAVOLENUS: *l.* 112 *D. de V. S.* 50. 16.

Litorum usus publicus est. § 5 *J. de rer. div.* 2, 1.

Quod in litore quis aedificaverit, eius erit.

NERATIUS: *l.*14 *pr. D. de aequ. rer. dom.* 41, 1.

Ripa ea putatur esse, quae plenissimum flumen continet. PAULUS: *l.* 3 § 1 *D. de flum.* 43, 12.

Ripae cedunt, ex quo primum a plano vergere incipit usque ad aquam. PAULUS: *l.* 3 § 2 *D. de flum.* 43, 12.

Riparum usus publicus est. GAIUS: *l.* 5 *pr. D. de divis rer.* 1, 8.

Locatio. Conductio.

Locatio et conductio proxima est emtioni et venditioni iisdemque iuris regulis constitit. GAIUS: *l.* 2 *pr. D. loc. cond.* 19, 2.

Locatio et conductio contrahi intelligitur, si de mercede convenerit. GAIUS: *l.* 2 *pr. D. loc. cond.* 19, 2.

Locatio sine mercede certa contrahi non potest. PAPINIANUS: *l.* 52 *pr. D. de don. inter v.* 44, 1.

Donationis causa contrahi locatio non potest. PAULUS: *l.* 20 § 1 *D. loc. cond.* 19, 2.

Locare servitutem nemo potest. ULPIANUS: *l.* 44 *D. loc. cond.* 19, 2.

Nemo prohibetur rem, quam conduxit, fruendam alii locare, si nihil aliud convenit. *L.* 6 *C. de locato* 4, 65.

Non solet locatio dominium mutare. ULPIANUS: *l.* 39 *D. loc. cond.* 19, 2.

Qui rem propriam conduxit existimans alienam, dominium non transfert, sed inefficacem conductionis contractum facit. *L.* 20 *C. de locato* 4, 65.

Prospicere debet conductor, ne in aliquo vel ius rei vel corpus deterius faciat vel fieri patiatur. ULPIANUS: *l.* 11 § 2 *D. loc. cond.* 19, 2.

Locus.

Contraxisse unusquisque in eo loco intelligitur, in quo, ut solveret, se obligavit. IULIANUS: *l.* 21 *D. de O. et A.* 44, 7.

Contractum non utique in eo loco intelligitur, quo

negotium gestum sit, sed quo solvenda est pecunia. GAIUS: *l.* 3 *D. de rebus auct.* 42, 5.

Is, qui certo loco dare promittit, nullo alio loco, quam in quo promisit, solvere invito stipulatore potest. ULPIANUS: *l.* 9 *D. de eo, quod certo* 13, 4.

Locus regit actum.

Purus locus dicitur, qui neque sacer neque sanctus est neque religiosus. ULPIANUS: *l.* 2 § 4 *D. de religiosis* 11, 7.

Lumen. Prospectus.

Prospectus etiam ex inferioribus locis est, lumen ex inferiore loco esse non potest. PAULUS: *l.* 16 *D. de serv. pr. arb.* 8, 2.

Maleficium. Flagitium.

In maleficiis voluntas spectatur, non exitus.

Maleficium iteratum gravius est.

In maleficio ratihabitio mandato comparatur. ULPIANUS: *l.* 152 § 2 *D. de R. J.* 50, 17.

Nulla societas maleficiorum [est]. ULPIANUS: *l.* 1 § 14 *D. de tut. et rat.* 27, 3.

Societas aut mandatum flagitiosae rei nullas vires habet. GAIUS: *l.* 35 § 2 *D. de contr. emt.* 18, 1.

Si flagitii faciendi vel facti causa concepta sit stipulatio, ab initio non valet. PAPINIANUS: *l.* 123 *D. de V. O.* 45, 1.

Malitia. Improbitas.

Nemo de improbitate sua consequitur actionem. ULPIANUS: *l.* 12 § 1 *D. de furtis* 47, 2.

Ex malitia nemo commodum habere debet.

Malitia crescente et poena crescere debet.

Malitia supplet aetatem.

Semel malus semper praesumitur esse malus. *c.* 8 *de R. J. in* 6*to* 5, 12.

Mandatum. Procurator.

Obligatio mandati consensu contrahentium existit. PAULUS: *l.* 1 *pr. D. mandati* 17, 1.

Qui patitur ab alio mandari, ut sibi credatur, mandare intelligitur. ULPIANUS: *l.* 18 *D. mandati* 17, 1.

Semper, qui non prohibuit pro se interveniri, mandare creditur: sed et si quis ratum habuerit, quod gestum est, obstringitur mandati exceptione. ULPIANUS: *l.* 60 *D. de R. J.* 50, 17.

Ratihabitio mandato comparatur. ULPIANUS: *l.* 152 § 2 *D. de R. J.* 50, 17.

Mandatum nisi gratuitum nullum est. PAULUS: *l.* 1 § 4 *D. mandati* 17, 1.

Mandatum non est obligatorium, quod contra bonos mores est. § 7 *J. de mandato* 3, 27.

Nemo ex consilio mandati obligatur. § 6 *J. de mandato* 3, 27.

Mandatum non suscipere cuilibet liberum est: susceptum autem consummandum aut quam primum renuntiandum est. § 11 *J. de mandato* 3, 27.

Invitus procurator non solet dari. ULPIANUS: *l.* 8 § 1 *D. de procur.* 3, 3.

Invitus procurationem suscipere nemo cogitur. *L.* 17 *C. de procur.* 2, 13.

Diligenter fines mandati custodiendi sunt. PAULUS: *l.* 5 *pr. D. mandati* 17, 1.

Is, qui exequitur mandatum, non debet excedere fines mandati. § 8 *J. de mandato* 3, 27.

Aliena negotia exacto officio geruntur. *L.* 21 *C. mandati* 4, 35.

Impendia mandati exequendi gratia facta, si bona fide facta sunt, restitui omnino debent, nec ad rem pertinet, quod is, qui mandasset, potuisset, si ipse negotium gereret, minus impendere. GAIUS: *l.* 27 § 4 *D. mandati* 17, 1.

Ignorantis domini conditio deterior per procuratorem fieri non debet. PAULUS: *l.* 49 *D. de procur.* 3, 3.

Deterior mandantis causa nunquam fieri potest. * PAULUS: *l.* 3 *pr. D. mandati* 17, 1.

Mandatum re integra domini morte finitur. *L.* 15 *C. mandati* 4, 35.

Mandatum morte dissolvitur. PAULUS: *l.* 108 *D. de solut.* 43, 3.

Procurator est, qui aliena negotia mandatu domini administrat. ULPIANUS: *l.* 1 *pr. D. de procur.* 3, 3.

Verum procuratorem accipere debemus eum, cui mandatum est vel specialiter vel cui omnium negotiorum administratio mandata est. ULPIANUS: *l.* 12 *pr. D. de solut.* 46, 3.

Mandatum speciale derogat generali.

Mater.

Educatio pupillorum .... nulli magis quam matri eorum committenda est. *L.* 1 *C. ubi pupilli* 5, 49.

Matrem cogemus praesertim vulgo quaesitos liberos alere. Ulpianus: *l.* 5 § 4 *D. de agnosc.* 25, 3.

Vulgo quaesitus matrem sequitur. Celsus: *l.* 19 *D. de statu hom.* 1, 5.

Qui nascitur sine legitimo matrimonio, matrem sequitur. Ulpianus: *l.* 24 *D. de statu hom.* 1, 5.

Eius, qui iustum patrem non habet, prima origo a matre eoque die, quo ex ea editus est, numerari debet. Neratius: *l.* 9 *D. ad municip.* 50, 1.

Non debet calamitas matris ei nocere, qui in ventre est. Marcianus: *l.* 5 § 2 *D. de statu hom.* 1, 5.

Mater pro filia dotem dare non cogitur nisi ex magna et probabili causa vel lege specialiter expressa. *L.* 14 *C. de jure dot.* 5, 12.

Media. Finis.

Qui vult finem, velle etiam creditur media, sine quibus finis obtineri nequit.

Qualia extrema, talia media.

Medicus.

Sicut medico imputari eventus mortalitatis non debet, ita quod per imperitiam commisit, imputari ei debet. Ulpianus: *l.* 6 § 7 *D. de off. praes.* 1, 18.

Merx.

Mercis appellatio ad res mobiles tantum pertinet. Ulpianus: *l.* 66 *D. de V. S.* 50, 16.

Metus.

Metus est instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio. ULPIANUS: *l.* 1 *D. quod metus c.* 4, 2.

Metus accipiendus [est] non quilibet timor, sed maioris malitatis. * ULPIANUS: *l.* 5 *D. quod metus c.* 4, 2.

Metus [iustus] est non vani hominis, sed qui merito et in hominem constantissimum cadit. * GAIUS: *l.* 6 *D. quod metus c.* 4, 2.

Metum autem praesentem accipere debemus, non suspicionem inferendi eius. ULPIANUS: *l.* 9 *pr. D. quod metus c.* 4, 2.

Nihil consensui tam contrarium est quam vis atque metus. ULPIANUS: *l.* 116 *pr. D. de R. J.* 50, 17.

In alterius praemium verti alienum metum non oportet. ULPIANUS: *l.* 14 § 9 *D. quod metus c.* 4, 2.

Vani timoris iusta excusatio non est. CELSUS: *l.* 184 *D. de R. J.* 50, 17.

Vanus metus restitutionem non parit.

Miles.

Voluntas militis in expeditione occupati pro iure servatur. *L.* 1 *C. de test. mil.* 6, 21.

Militis sola voluntas in testando spectatur. § 5 *J. de her. inst.* 2. 14.

Militi licet plura testamenta facere. ULPIANUS: *l.* 19 *pr. D. de test. mil.* 29, 1.

Miles parte testatus potest decedere, parte intestatus. ULPIANUS: *l.* 6 *D. de test. mil.* 29, 1.

Idem ex parte testatus et ex parte intestatus decedere nequit nisi sit miles. § 5 *J. de her. inst.* 2, 14.

Privilegium militum ad alienam iniuriam porrigi non oportet. PAPINIANUS: *l.* 40 *D. de admin. tut.* 26, 7.

Minores. Puberes.

Minoribus aetas in damnis subvenire, non rebus prospere gestis obesse consuevit. *L.* 14 *C. de procur.* 2, 13.

Curatores autem minores sibi ipsis petent.

MODESTINUS: *l.* 2 § 4 *D. qui petant. tut.* 26. 6.

Inviti adolescentes curatores non accipiunt praeterquam in litem. § 2 *J. de curator.* 1, 23.

Mora.

Mora est iniusta dilatio in adimplenda obligatione.

Mora fieri videtur, cum postulanti non datur.

PAULUS: *Sent. III*, 8 § 4.

In omnibus causis pro facto accipitur id, in quo per alium mora fit, quominus fiat. POMPONIUS: *l.* 39 *D. de R. J.* 50, 17.

Non enim in mora est is, a quo pecunia propter exceptionem peti non potest. PAULUS: *l.* 40 *D. de rebus cred.* 12. 1.

Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri. *c.* 60 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio est. SCAEVOLA: *l.* 88 *D. de R. J.* 50, 17.

Non omne, quod differendi causa optima ratione

fit, morae adnumerandum. ULPIANUS: *l.* 21 *D. de usuris* 22, 1.

Mora fieri intelligitur non ex re, sed ex persona. MARCIANUS: *l.* 32 *pr. D. de usuris* 22, 1.

In bonae fidei contractibus ex mora usurae debentur. MARCIANUS: *l.* 32 § 2 *D. de usuris* 22, 1.

Si post moram res interierit, aestimatio eius praestatur. ULPIANUS: *l.* 39 § 1 *D. de legatis I.*

Casus fortuitus a mora excusat.

Unicuique sua mora nocet. PAULUS: *l.* 173 § 2 *D. de R. J.* 50, 17.

Si duo rei promittendi sint, alterius mora alteri non nocet. MARCIANUS: *l.* 32 § 4 *D. de usuris* 22, 1.

Mora rei fideiussori quoque nocet. PAULUS: *l.* 88 *D. de V. O.* 45, 1.

Cum reus moram facit, et fideiussor tenetur. PAULUS: *l.* 24 § 1 *D. de usuris* 22, 1.

Morbus. Vitium.

Morbus est temporalis corporis imbecillitas, vitium vero perpetuum corporis impedimentum. MODESTINUS: *l.* 101 § 2 *D. de V. S.* 50, 16.

Morbus sonticus est, qui cuique rei nocet. IAVOLENUS: *l.* 113 *D. de V. S.* 50, 16.

Morbus est impedimentum legale.

Vitia aperta non praestantur.

Mors. Mortui. Commorientes.

Extinguitur crimen mortalitate. ULPIANUS: *l.* 11 *D. ad leg. Jul.* 48, 4.

Mandatum solvitur morte. PAULUS: *l.* 26 *pr. D. mandati* 17, 1.

Mortuus velle desiit.

Qui mortui nascuntur, neque nati neque procreati videntur, quia nunquam liberi appellari potuerunt. PAULUS: *l.* 129 *D. de V. S.* 50, 16.

Commorientium non videtur alter alteri supervixisse. MARCIANUS: *l.* 18 *pr. D. de reb. dub.* 34, 5.

Mutuum.

Appellata est mutui datio ab eo, quod ex meo tuum fit, et ideo, si non fiat tuum, non nascitur obligatio. PAULUS: *l.* 2 § 2 *D. de reb. cred.* 12, 1.

Mutui datio consistit in his rebus, quae pondere, numero, mensura consistunt. PAULUS: *l.* 2 § 1 *D. de reb. cred.* 12, 1.

In mutuo id agi intelligitur, ut eiusdem generis et eadem bonitate solvatur, qua datum sit. POMPONIUS: *l.* 3 *D. de reb. cred.* 12, 1.

Nasciturus.

Qui in utero sunt, in toto paene iure civili intelliguntur in rerum natura esse. IULIANUS: *l.* 26 *D. de statu hom.* 1, 5.

Partus, dum in ventre portatur, homo fieri speratur. *L.* 24 *C. de fideicomm. lib.* 7, 4.

Intelligendus est mortis tempore fuisse, qui in utero relictus est. TERENTIUS CLEMENS: *l.* 153 *D. de V. S.* 50, 16.

Qui in utero est, perinde ac si in rebus humanis esset, custoditur, quoties de commodis ipsius partus quaeritur. PAULUS: *l.* 7 *D. de statu hom.* 1, 5.

Nasciturus pro iam nato habetur, si de eius commodo agitur.

Nasciturus aliis non prodest nisi natus. *cf. l.* 7 *D. de statu hom.* 1, 5.

Non est pupillus, qui in utero est. ULPIANUS: *l.* 161 *D. de V. S.* 50, 16.

Partus nondum editus homo non recte fuisse dicitur. PAPINIANUS: *l.* 9 § 1 *D. ad leg. Falc.* 35, 2.

Non debet calamitas matris nocere ei, qui in ventre est. MARCIANUS: *l.* 5 § 2 *D. de statu hom.* 1, 5.

Navis.

Exercitorem [navis] eum dicimus, ad quem obventiones et reditus omnes perveniunt. ULPIANUS: *l.* 1 § 15 *D. de exerc. act.* 14, 1.

Magistrum navis accipere debemus, cui totius navis cura mandata est. ULPIANUS: *l.* 1 § 1 *D. de exerc. act.* 14, 1.

Necessitas.

Quae propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi. PAULUS: *l.* 162 *D. de R. J.* 50, 17.

Nemo in necessitatibus liberalis existit. MODESTINUS: *l.* 18 *D. de adim. leg.* 34, 4.

Non enim donat, qui necessariis oneribus succurrit. ULPIANUS: *l.* 21 *pr. D. de donat. inter v. et u.* 24, 1.

Necessitas non habet legem.

Negligentia.

Negligentia non praesumitur.

Nimia negligentia est non intelligere, quod omnes intelligunt. * ULPIANUS: *l.* 213 § 2 *D. de V. S.* 50, 16.

Magna negligentia culpa est. PAULUS: l. 226 *D. de V. S.* 50, 16.

Magnam negligentiam placuit in doli crimine cadere. GAIUS: *l.* 1 § 5 *D. de O. et A.* 44, 7.

Dissoluta enim negligentia prope dolum est. ULPIANUS: *l.* 29 *pr. D. mandati* 17, 1.

Negotium. Actus.

Plus actum quam scriptum valet. *L.* 4 *C. plus valere* 4, 22.

Actus ultra intentionem agentium nihil operatur.

In totum omnia, quae animi destinatione agenda sunt, nonnisi vera et certa scientia perfici possunt. PAPINIANUS: *l.* 76 *D. de R. J.* 50, 17.

Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum. *c.* 33 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Quod semel placuit, amplius displicere non potest. *c.* 21 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Difficultas non vitiat actum.

Actus omissa forma legis corruit.

Actus iudicialis potentior est extraiudiciali.

Idem est non facere et non legitime facere.

Quod non rite factum est, pro infecto habetur.

Quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habentur. *L.* 5 *pr. C. de legg.* 1, 14.

Ea, quae contra leges fiunt, pro infectis habenda sunt. *L.* 14 § 1 *C. de sacros. eccl.* 1, 2.

Quae contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi. *c.* 64 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere [regula Catoniana]. PAULUS: *l.* 29 *D. de R. J.* 50, 17.

Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit. *c.* 18 *de R. J. in 6to* 5. 12.

Quae semel utiliter constituta sunt, durant, licet ille casus extiterit, a quo initium capere non potuerunt. PAULUS: *l.* 85 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari. *c.* 73 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Utile non debet per inutile vitiari. *c.* 37 *de R. J. in 6to* 5. 12.

Plus valet quod agitur quam quod simulate concipitur. *Inscr. c.* 4, 22.

Quae simulate geruntur, pro infectis habentur.

Actus simulatus nullius est momenti.

Acta simulata .... veritatis substantiam mutare non possunt. *L.* 2 *C. plus valere* 4, 22.

Incertitudo rei vitiat actum.

Actum frustratorium nemo praesumitur facere.

Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. *c.* 68 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Videtur enim gessisse, qui per alium gessit. ULPIANUS: *l.* 5 § 3 *D. de admin. tut.* 26, 7.

Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum. *c.* 72 *de R. J. in* 6*to* 5, 12.

Locus regit actum.

Novatio.

Novatio est prioris debiti in aliam obligationem vel civilem vel naturalem transfusio atque translatio. ULPIANUS: *l.* 1 *pr. D. de novat.* 46, 2.

Omnes res transire in novationem possunt. ULPIANUS: *l.* 2 *D. de novat.* 46, 2.

Cui recte solvitur, is etiam novare potest.

Novatio non potest contingere ea stipulatione, quae non committitur. POMPONIUS: *l.* 24 *D. de novat.* 46, 2.

Novi operis nuntiatio.

Operis novi nuntiatio in rem fit, non in personam. ULPIANUS: *l.* 10 *D. de N. O. N.* 39, 1.

Ius habet novum opus nuntiandi, qui aut dominium aut servitutem habet. ULPIANUS: *l. un.* § 3 *D. de remiss.* 43, 25.

Noxa.

Noxae appellatione omne delictum continetur. GAIUS: *l.* 238 § 3 *D. de V. S.* 50, 16.

Noxae datio non est in actione, sed in solutione.

Noxa caput sequitur. ULPIANUS: *l.* 1 § 2 *D. de priv. del.* 47, 1.

Actio noxalis caput sequitur. GAIUS: *l.* 20 *D. de nox. act.* 9, 4.

Nuptiae.

Nuptiae sunt coniunctio maris et feminae, consortium omnis vitae, divini et humani iuris communicatio.

MODESTINUS: *l.* 1 *D. de ritu nupt.* 23, 2.

Nuptiae autem sive matrimonium est viri et mulieris coniunctio, individuam vitae consuetudinem continens. § 1 *J. de pat. pot.* 1, 9.

Nuptias non concubitus, sed consensus facit.

ULPIANUS: *l.* 30 *D. de R. J.* 50, 17.

Nuptiae solo consensu contrahuntur.

Non enim coitus matrimonium facit, sed maritalis affectio. ULPIANUS: *l.* 32 § 13 *D. de donat. inter v. et u.* 24, 1.

Matrimonium inter invitos non contrahitur.

CELSUS: *l.* 22 *D. de ritu nupt.* 23, 2.

Nuptiae consistere non possunt, nisi consentiunt omnes, id est qui coëunt quorumque in potestate sunt.

PAULUS: *l.* 2 *D. de ritu nupt.* 23, 2.

Furor contrahi matrimonium non sinit, quia consensus opus est, sed recte contractum non impedit.

PAULUS: *l.* 16 § 2 *D. de ritu nupt.* 23, 2.

Simulatae nuptiae nullius momenti sunt. GAIUS: *l.* 30 *D. de ritu nupt.* 23, 2.

In contrahendis matrimoniis naturale ius et pudor inspiciendus est. PAULUS: *l.* 14 § 2 *D. de ritu nupt.* 23, 2.

Semper in coniunctionibus non solum, quid liceat, considerandum est, sed et quid honestum sit.

MODESTINUS: *l.* 197 *D. de R. J.* 50, 17.

Matrimonium non praesumitur.

Obligatio.

Obligatio est iuris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius rei solvendae secundum iura nostrae civitatis. *pr. J. de oblig.* 3, 14.

Obligationum substantia non in eo consistit, ut aliquod corpus nostrum aut servitutem nostram faciat, sed ut alium nobis adstringat ad dandum aliquid vel faciendum vel praestandum. PAULUS: *l.* 3 *pr. D. de O. et A.* 44, 7.

Ea in obligatione consistunt, quae pecunia lui praestarique possunt. ULPIANUS: *l.* 9 § 2 *D. de statu lib.* 40, 7.

Obligari potest paterfamilias, suae potestatis, pubes, compos mentis. PAULUS: *l.* 43 *D. de O. et A.* 44, 7.

Consilii non fraudulenti nulla obligatio est. ULPIANUS: *l.* 47 *pr. D. de R. J.* 50, 17.

Nemo ex consilio obligatur. GAIUS: *l.* 2 § 6 *D. mandati* 17, 1.

Ex commendatione et consilio generali nulla nascitur obligatio.

Certissimum est ex alterius contractu neminem obligari. *L.* 3 *C. ne uxor pro* 4, 12.

Nemo alienum factum promittendo obligatur.

Non potest [quis] pro eodem et eidem esse obligatus. PAULUS: *l.* 56 § 1 *D. de fidej.* 46, 1.

Impossibilium nulla obligatio est. CELSUS: *l.* 185 *D. de R. J.* 50, 17.

Nemo potest ad impossibile obligari. *c.* 6 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Ad impossibilia nulla datur obligatio.

Quod nullius esse potest, id ut alicuius fieret, nulla obligatio valet efficere. PAULUS: *l.* 182 *D. de R. J.* 50. 17.

Ex die incipit obligatio.

Dies non remoratur obligationem.

Statim debetur, quod sine die debetur.

In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, praesenti die debetur. POMPONIUS: *l.* 14 *D. de R. J.* 50. 17.

Quae per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint. § 6 *J. de V. O.* 3, 16.

Quicunque sub conditione obligatus curaverit, ne conditio existeret, nihilominus obligatur. PAULUS: *l.* 85 § 7 *D. de V. O.* 45, 1.

Quidquid adstringendae obligationis est, id, nisi palam verbis exprimitur, omissum intelligendum est. CELSUS: *l.* 99 *pr. D. de V. O.* 45, 1.

Is natura debet, quem iure gentium dare oportet, cuius fidem secuti sumus. PAULUS: *l.* 84 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Verbis obligamur, cum praecedit interrogatio et sequitur congruens responsio. MODESTINUS: *l.* 52 § 2 *D. de O. et A.* 44, 7.

Re obligamur, cum res ipsa intercedit. MODESTINUS: *l.* 52 § 1 *D. de O. et A.* 44, 7.

Re et verbis pariter obligamur, cum et res interrogationi intercedit. MODESTINUS: *l.* 52 § 3 *D. de O. et A.* 44, 7.

Eodem modo vinculum obligationum solvitur, quo

quaeri adsolet. PAPINIANUS: *l.* 46 *D. de acqu. vel am. poss.* 41, 2.

Fere quibuscunque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur. PAULUS: *l.* 153 *D. de R. J.* 50, 17.

Verborum obligatio verbis tollitur. ULPIANUS: *l.* 35 *D. de R. J.* 50, 17.

Nudi consensus obligatio contrario consensu dissolvitur. ULPIANUS: *l.* 35 *D. de R. J.* 50, 17.

Tollitur omnis obligatio solutione eius, quod debetur. § 1 *J. quib. mod. toll. oblig.* 3, 30.

Extinguitur obligatio, si in eum casum inciderit, a quo incipere non potest. PAULUS: *l.* 140 § 2 *D. de V. O.* 45, 1.

Quae in eam causam pervenerunt, a qua incipere non poterant, pro non scriptis habentur. MARCIANUS: *l.* 3 § 2 *D. de his, quae non* 34, 8.

Occupatio.

Quod nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. GAIUS: *l.* 3 *pr. D. de acquir. rer. dom.* 41, 1.

Res nullius cedit occupanti.

Si res pro derelicto habita sit, statim nostra esse desinit et occupantis statim fit. ULPIANUS: *l.* 1 *D. pro derelicto* 41, 7.

Officium.

Iniquum est damnosum esse cuiquam officium suum. GAIUS: *l.* 7 *D. testam. quemadm.* 29, 3.

Finito officio cessant onera officii.

Ostentum.

Ostentum est omne contra naturam cuiusque rei genitum factumque. ULPIANUS: *l.* 38 *D. de V. S.* 50, 16.

Palam. Clam.

Palam est coram pluribus. ULPIANUS: *l.* 33 *D. de V. S.* 50, 16.

Clandestina iniusta praesumuntur.

Par.

Par in parem non habet imperium.

Pars. Totum.

Appellatione rei pars etiam continetur. PAULUS: *l.* 72 *D. de V. S.* 50, 16.

In toto et pars continetur. GAIUS: *l.* 113 *D. de R. J.* 50, 17.

Approbatione totius rei quaelibet eius pars approbatur.

Partis eadem ratio est quae totius.

Incertam partem possidere nemo potest. POMPONIUS: *l.* 32 § 2 *D. de usurp.* 41, 3.

Partus.

Partus sequitur ventrem.

Partus, antequam edatur, mulieris portio est vel viscerum. ULPIANUS: *l.* 1 *D. de inspic. ventre* 25, 4.

Partus, dum in ventre portatur, homo fieri speratur. *L.* 24 *C. de fideicomm. libert.* 7, 4.

Partus nondum editus homo non recte fuisse dicitur. PAPINIANUS: *l.* 9 § 1 *D. ad leg. Falc.* 35, 2.

Pater. Filius.

Pater is est, quem nuptiae demonstrant. PAULUS: *l.* 5 *D. de in jus voc.* 2, 4.

Pater et filius eadem esse persona intelliguntur. *L.* 11 *C. de impub.* 6, 26.

Per os filii pater loqui videtur.

Inter patrem et filium contrahi emtio non potest, sed de rebus castrensibus potest. ULPIANUS: *l.* 2 *pr. D. de contrah. emt.* 18, 1.

Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris vel domini. ULPIANUS: *l.* 4 *D. de R. J.* 50, 17.

Pauperies.

Pauperies est damnum sine iniuria facientis datum. *pr. J. si quadrupes paup.* 4, 9.

Peculium.

Peculium dictum est quasi pusilla pecunia sive patrimonium pusillum. ULPIANUS: *l.* 5 § 3 *D. de peculio* 15, 1.

Peculium est universitas incorporea et iuris, in qua actiones continentur. *Glossa ad l.* 1 § 8 *D. quando de peculio* 15, 8.

Filiifamilias in castrensi peculio vice patrumfamilias funguntur. ULPIANUS: *l.* 1 *D. de Scto Maced.* 14, 6.

Ex poenalibus causis non solet in patrem de peculio actio dari. ULPIANUS: *l.* 58 *D. de R. J.* 50, 17.

Pecunia. Pecunia traiectitia.

Corpora quoque pecuniae appellatione contineri nemo est qui ambigat. ULPIANUS: *l.* 178 *pr. D. de V. S.* 50, 16.

Nemo pecuniam suam iactare creditur.

Pecunia traiectitia est, quae trans mare vehitur. MODESTINUS: *l.* 1 *D. de naut. foen.* 22, 2.

Pendens.

Quod pendet, non est pro eo, quasi sit. PAULUS: *l.* 169 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Periculum.

Adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere. GAIUS: *l.* 4 *pr. D. ad leg. Aquil.* 9, 2.

Persona.

Persona est homo statu praeditus.

Plus cautionis in re est quam in persona. POMPONIUS: *l.* 25 *D. de R. J.* 50, 17

Incertae personae sunt, quas incerta opinione animo suo subiecerat testator. * § 25 *J. de legatis* 2, 20.

Petitio.

Habetur, quod peti potest. ULPIANUS: *l.* 143 *D. de V. S.* 50, 16.

Non videtur cepisse, qui per exceptionem a petitione removetur. ULPIANUS: *l.* 13 *D. de R. J.* 50, 17.

Nihil peti potest ante id tempus, quo per rerum naturam persolvi possit. CELSUS: *l.* 186 *D. de R. J.* 50, 17.

Dolo facit, qui petit, quod redditurus est. PAULUS: *l.* 8 *pr. D. de doli mali exc.* 44, 4 *(cf. c.* 59 *de R. J. in 6to* 5, 12*)*.

Pignus. Hypotheca.

Inter pignus et hypothecam tantum nominis sonus differt. MARCIANUS: *l.* 5 § 1 *D. de pignor.* 20, 1.

Pignus dicimus, quod ad creditorem transit: hypothecam, cum non transit nec possessio ad creditorem. ULPIANUS: *l.* 9 § 2 *D. de pign. act.* 13, 7.

Pignoris appellatione eam proprie rem contineri dicimus, quae simul etiam traditur creditori, maxime si mobilis sit. At eam, quae sine traditione nuda conventione tenetur, proprie hypothecae apellatione contineri dicimus. § 7 *J. de act.* 4, 6.

Pignus manente proprietate debitoris solam possessionem transfert ad creditorem. FLORENTINUS: *l.* 35 § 1 *D. de pign. act.* 13, 7.

Pignus contrahitur non solum traditione, sed etiam nuda conventione, etsi non traditum est. ULPIANUS: *l.* 1 *pr. D. de pign. act.* 13, 7.

Quod emtionem venditionem recipit, etiam pignerationem recipere potest. GAIUS: *l.* 9 § 1 *D. de pignor.* 20, 1.

Suae rei pignus non consistit.

Per alium rem alienam invito domino pignori obligari non posse certissimum est. *L.* 6 *C. si al. res pign.* 8, 16.

Quidquid pignori commodi sive incommodi fortuito accessit, id ad debitorem pertinet. Ulpianus: *l.* 21 § 2 *D. de pignor.* 20, 1.

Non plus habere creditor potest quam habet, qui pignus dedit. Papinianus: *l.* 3 § 1 *D. de pignor.* 20, 1.

Potior est in pignore, qui prius credidit pecuniam et accepit hypothecam. Gaius: *l.* 11 *pr. D. qui potiores* 20, 4.

Qui pignori plures res accepit, non cogitur unam liberare, nisi accepto universo, quantum debetur. Ulpianus: *l.* 19 *D. de pignor.* 20, 1.

Pignoris causa indivisa est.

Vincula pignoris durant personali actione submota. *L.* 2 *C. de luit.* 8, 31.

Ex quibus casibus naturalis obligatio consistit, pignus perseverare constitit. Ulpianus: *l.* 14 § 1 *D. de pign. act.* 20, 1.

Usucapio pignoris conventionem non extinguit. *L.* 7 *C. de pignor.* 8, 14.

Novata debiti obligatio pignus perimit, nisi convenit, ut pignus repetatur. Ulpianus: *l.* 11 § 1 *D. de pign. act.* 13, 7.

Cum vitiose vel inutiliter contractus pignoris intercedat, retentioni locus non est. Modestinus: *l.* 25 *D. de pign.* 20, 7.

Plebs. Plebiscitum.

Plebs est ceteri cives sine senatoribus. GAIUS: *l.* 238 *pr. D. de V. S.* 50, 16.

Plebiscitum est, quod plebs plebeio magistratu interrogante veluti tribuno constituebat. § 4 *J. de jure nat.* 1, 2.

Plus. Maius. Minus.

In eo, quod plus sit. semper inest et minus. PAULUS: *l.* 110 *D. de R. J.* 50, 17.

Plus semper in se continet, quod est minus. *c.* 35 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Cui maius conceditur, et minus concedi videtur.

Non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere. ULPIANUS: *l.* 21 *D. de R. J.* 50, 17.

Poena.

Poena est noxae vindicta. ULPIANUS: *l.* 131 *pr. D. de V. S.* 50, 16.

Ibi sit poena, ubi et noxia est. * *L.* 22 *C. de poenis* 9, 47.

Poena sine fraude esse non potest. ULPIANUS: *l.* 131 *pr. D. de V. S.* 50, 16.

Nulla poena sine lege.

Non enim delictum ob aliud delictum minuit poenam. ULPIANUS: *l.* 2 *D. de priv. del.* 47, 1.

Poena maior absorbet minorem.

Graviore culpa gravior poena.

Malitia crescente et poena crescere debet.

Cogitationis poenam nemo patitur. ULPIANUS: *l.* 18 *D. de poenis* 48, 19.

Poenae non solent repeti, cum depensae sunt. ULPIANUS: *l.* 42 *D. de cond. indeb.* 12, 6.

Quod a quoquam poenae nomine exactum est, id eidem restituere nemo cogitur. GAIUS: *l.* 46 *D. de R. J.* 50, 17.

Constitutum est poenarum usuras peti non posse.

Rem suam persequentibus poenae exactio postponitur. *L. un. C. de poen. fisc.* 10, 7.

Omnium fiscalium poenarum petitio creditoribus postponitur. MODESTINUS: *l.* 17 *D. de jure fisci* 49, 14.

Defuncto eo, qui reus fuit criminis, et poena extincta est. MARCIANUS: *l.* 6 *D. de publ. jud.* 48, 1.

Interpretatione legum poenae molliendae sunt potius quam asperandae. HERMOGENIANUS: *l.* 42 *D. de poenis* 48, 19.

In poenalibus causis benignius interpretandum est. PAULUS: *l.* 155 § 2 *D. de R. J.* 50, 17.

Pollicitatio. Votum.

Pollicitatio est offerentis solius promissum. ULPIANUS: *l.* 3 *pr. D. de pollic.* 50, 12.

Si quis rem aliquam voverit, voto obligatur. ULPIANUS: *l.* 2 *D. de pollic.* 50, 12.

Salarium incertae pollicitationis peti non potest. *L.* 17 *C. mandati* 4, 35.

Voti obligationem ad heredem transire constat. ULPIANUS: *l.* 2 § 2 *D. de pollic.* 50, 12.

Portio hereditaria.

Exheredatus partem facit ad minuendam, numerum facit ad augendam legitimam.

Portio semper cum suo onere accrescit.

Portio portioni accrescit.

Quatuor aut infra natis dant iura trientem.

Sed dant semissem liberis, si quinque vel ultra.

Possessio.

Possessio plurimum facti habet. PAPINIANUS: *l.* 19 *D. quib. ex caus. maj.* 4, 6.

Possessio non est iuris, sed facti.

Possessio non tantum corporis, sed et iuris est. PAPINIANUS: *l.* 49 § 1 *D. de acquir. vel am. poss.* 41, 2.

Possessio defenditur ad instar iuris.

Nihil commune habet proprietas cum possessione. ULPIANUS: *l.* 12 § 1 *D. de acquir. vel am. poss.* 41, 2.

Orta proprietatis et possessionis lite prius possessionis quaestio decidenda est.

Si de vi et possessione quaeratur, prius cognoscendum est de vi quam de proprietate rei.

CALLISTRATUS: *l.* 37 *D. de judiciis* 5, 1.

Possideri . . . . possunt, quae sunt corporalia. PAULUS: *l.* 3 *pr. D. de acquir. vel am. poss.* 41, 2.

Incertam partem possidere nemo potest. POMPONIUS: *l.* 32 § 2 *D. de usurp.* 41, 3.

Plures eandem rem in solidum possidere non possunt. PAULUS: *l.* 3 § 5 *D. de acquir. vel am. poss.* 41, 2.

Adipiscimur possessionem corpore et animo neque

per se animo aut per se corpore. PAULUS: *l.* 3 § 1 *D. de acquir. vel am. poss.* 41, 2.

Nulla possessio acquiri nisi animo et corpore potest. PAULUS: *l.* 153 *D. de R. J.* 50, 17. & *l.* 8 *D. de acquir. vel am. poss.* 41, 2.

Possessio nisi naturaliter comprehensa ad nos non pertinet. IAVOLENUS: *l.* 23 *pr. D. de acquir. vel am. poss.* 41, 2.

Ignoranti possessio non acquiritur.

Possidet, cuius nomine possidetur. CELSUS: *l.* 18 *pr. D. de acquir. vel am. poss.* 41, 2.

Ille, per quem volumus possidere, talis esse debet, ut habeat intellectum possidendi. PAULUS: *l.* 1 § 9 *D. de acquir. vel am. poss.* 41, 2.

Nullus sensus est infantis accipiendi possessionem. PAULUS: *l.* 32 § 2 *D. de acquir. vel am. poss.* 41, 2.

Is, qui precario habet, etiam possidet. ULPIANUS: *l.* 4 § 1 *D. de precario* 43, 26.

Usus est pro possessione.

Naturaliter videtur possidere is, qui usumfructum habet. ULPIANUS: *l.* 12 *pr. D. de acquir. vel am. poss.* 41, 2.

Possessio defuncti quasi iuncta descendit ad heredem. PAULUS: *l.* 20 *pr. D. ex quib. caus. maj.* 4, 6.

Possessionem hereditas non habet. ULPIANUS: *l.* 1 § 15 *D. si is, qui testam.* 47, 4.

Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere. *c.* 36 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Semper qui dolo fecit, quominus haberet, pro eo habetur, ac si haberet. ULPIANUS: *l.* 157 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Dolus pro possessione est.

Unusquisque potest rem suam, quamvis non possideat, precario dare ei, qui possideat. IULIANUS: *l.* 18 *D. de precario* 43, 26.

Nemo sibi ipse causam possessionis mutare potest. PAULUS: *l.* 3 § 19 *D. de acquir. vel am. poss.* 41, 2 & *l.* 5 *C. de acquir. poss.* 7, 32.

Accessio nemini proficit, nisi ei, qui ipse possedit. ULPIANUS: *l.* 13 § 12 *D. de acquir. vel am. poss.* 41, 2.

Sine possessione praescriptio non procedit. *c.* 3 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Tantum praescriptum, quantum possessum.

Bona fides tantundem possidenti praestat quantum veritas, quoties lex impedimento non est. PAULUS: *l.* 136 *D. de R. J.* 50, 17.

Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit. *c.* 2 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Qui intelligit alienum se possidere, mala fide possidet. GAIUS: *l.* 38 *D. pro emtore* 41, 3.

Adversus extraneos vitiosa possessio prodesse solet. VENULEIUS: *l.* 53 *D. de acquir. vel am. poss.* 41, 2.

Non videor vi possidere, qui ab eo, quem scirem vi in possessione esse, fundum accipiam. ULPIANUS: *l.* 3 § 10 *D. uti possidetis* 43, 17.

Qualiscunque enim possessor, hoc ipso, quod possessor est, plus iuris habet quam ille, qui non possidet. PAULUS: *l.* 2 *D. uti possidetis* 43, 17.

In summa possessionis non multum interest, iuste quis an iniuste possideat. PAULUS: *l.* 3 § 5 *D. de acquir. vel am. poss.* 41, 2.

Melior est causa possidentis. ULPIANUS: *l.* 26 § 2 *D. de R. J.* 50, 17.

Melior habetur possessoris causa. PAULUS: *l.* 154 *pr. D. de R. J.* 50. 17.

In pari causa possessor potior haberi debet. PAULUS: *l.* 128 *pr. D. de R. J.* 50, 17.

Occupantis melior est conditio. ULPIANUS: *l.* 14 *pr. D. de noxal. act.* 9, 4.

In dubio pro possessore.

Possessores sunt potiores, licet nullum ius habeant. ULPIANUS: *l.* 5 *D. si ususfr. pet.* 7, 6.

Possidentes exceptionem, non possidentes actionem habent.

Non videtur possessionem adeptus is, qui ita nactus est, ut eam retinere non possit. IAVOLENUS: *l.* 22 *D. de acquir. vel am. poss.* 41, 2.

Ut ... nulla possessio acquiri nisi animo et corpore potest, ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum. PAULUS: *l.* 153 *D. de R. J.* 50, 17.

In amittenda quoque possessione affectio eius, qui possidet, intuenda est. PAULUS: *l.* 3 § 6 *D. de acquir. vel am. poss.* 41, 2.

Postliminium.

Postliminium est ius amissae rei recipiendae ab extraneo et in statum pristinum restituendae. PAULUS: *l.* 19 *pr. D. de captivis* 49, 15.

Postliminium fingit eum, qui captus est, in civitate semper fuisse. § 5 *J. quib. mod. jus* 1, 12.

Potestas. Patria potestas.

In potestate nostra sunt liberi nostri, quos ex iustis nuptiis procreavimus. *pr. J. de patr. pot.* 1, 9.

In sua potestate non videtur habere, qui non est suae potestatis. ULPIANUS: *l.* 21 *D. ad leg. Jul.* 48, 5.

Lis nulla nobis potest esse cum eo, quem in potestate habemus. GAIUS: *l.* 4 *D. de judiciis* 5, 1.

Qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest. GAIUS: *l.* 10 § 1 *D. de acquir. rer. dom.* 41, 1

Qui in potestate parentis est impubes, ne auctore quidem patre obligatur. § 10 *J. de inutil. stipul.* 3, 20.

Qui in potestate parentis sunt, mortuo eo sui iuris fiunt. *pr. J. quib. mod. jus* 1, 12.

Inviti filii naturales vel emancipati non rediguntur in patriam potestatem. MODESTINUS: *l.* 11 *D. de his, qui sui* 1, 6.

Patria potestas in pietate debet, non atrocitate consistere. MARCIANUS: *l.* 5 *D. ad leg. Pomp.* 48, 9.

Praeceptor.

Praeceptoris nimia saevitia culpa adsignatur. PAULUS: *l* 6 *D. ad leg. Aquil.* 9, 2.

Praedium.

Nexum non facit praediorum nisi persona, quae iure potuit obligare. *L.* 8 *C. si aliena res* 8, 16.

Quodlibet praedium praesumitur esse a servitute liberum, usque dum probetur contrarium.

Urbanum praedium non locus facit, sed materia. ULPIANUS: *l.* 198 *D. de V. S.* 50, 16.

Praescriptio. Usucapio.

Usucapio est adjectio dominii per continuationem

possessionis temporis lege definiti. MODESTINUS: *l.* 3 *D. de usurp.* 41, 3.

Vetustas semper pro lege habetur. PAULUS: *l.* 2 *pr. D. de aqua* 39, 3.

Videtur rem alienare, qui eam patitur usucapi. PAULUS: *l.* 28 *pr. D. de V. S.* 50, 16.

Alienationis verbum etiam usucapionem continet. PAULUS: *l.* 8 *pr. D. de V. S.* 50, 16.

Agere non valenti non currit praescriptio.

Incorporales res traditionem et usucapionem non recipiunt. GAIUS: *l.* 43 § 1 *D. de acqu. rer. dom.* 41, 1.

Quod vi possessum raptumve sit, antequam in potestatem domini heredisve eius pervenit, usucapi lex vetat. VENULEIUS: *l.* 6 *D. vi bon. rapt.* 47, 8.

Quod ex naufragio expulsum est, usucapi non potest, quoniam non est in derelicto, sed in deperdito. IAVOLENUS: *l.* 21 § 1 *D. de acqu. vel am. poss.* 41, 2.

Non potest pro derelicto usucapere, qui falso existimaverit rem pro derelicto habitam esse. IULIANUS: *l.* 6 *D. pro derelicto* 41, 7.

Si sub conditione emtio facta sit, pendente conditione emtor usu non capit. PAULUS: *l.* 2 § 2 *D. pro emtore* 41, 4.

Pignori rem acceptam usu non capimus, quia pro alieno possidemus. PAULUS: *l.* 13 *D. de usurp.* 41, 3.

Qui in servitute est, usucapere non potest. ULPIANUS: *l.* 118 *D. de R. J.* 50, 17.

Sine possessione usucapio contingere non potest. LICINIUS RUFINUS: *l.* 25 *D. de usurp.* 41, 3.

Sine possessione praescriptio non procedit. *c.* 6 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Tantum praescriptum, quantum possessum.

Usucapionis requisita:

Res habilis, titulus, fides, possessio, tempus.

Oportet, ut, qui praescribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae. *c.* 20 *X de praescript.* 2, 26.

Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit. *c.* 2 *de R. J. in* 6*to* 5, 12.

Ubi lex inhibet usucapionem, bona fides possidenti nihil prodest. Pomponius: *l.* 24 *pr. D. de usurp.* 41, 3.

In iure erranti non procedit usucapio. Pomponius: *l.* 32 § 1 *D. de usurp.* 41, 3.

Nunquam in usucapionibus iuris error possessori prodest. Paulus: *l.* 31 *pr. D. de usurp.* 41, 3.

Probabilis error possidentis usucapioni non obstat. Neratius: *l.* 5 § 1 *D. pro suo* 41, 10.

Pro soluto usucapit, qui rem debiti causa recipit. Hermogenianus; *l.* 46 *D. de usurp.* 41, 3.

Pro legato usucapit, cui recte legatum relictum est. Hermogenianus: *l.* 9 *D. pro legato* 41, 8.

Nemo potest legatorum nomine usucapere, nisi is, cum quo testamenti factio est. Iavolenus: *l.* 7 *D. pro legato* 41, 8.

Pro donato is usucapit, cui donationis causa res tradita est. Paulus: *l.* 1 *pr. D. pro donato* 41, 6.

Pro herede ex vivi bonis nihil usucapi potest. Pomponius: *l.* 1 *D. pro herede* 41, 5.

Possessio testatoris ita heredi procedit, si medio tempore a nullo possessa est. Iavolenus: *l.* 20 *D. de usurp.* 41, 3.

Tempora auctoris et successoris coniunguntur.

Inter venditorem et emtorem coniunguntur tempora. § 13 *J. de usucap.* 2, 6.

Emtori tempus venditoris ad usucapionem procedit.

Id tempus venditoris prodest emtori, quo antequam venderet, possedit. PAULUS: *l.* 14 *pr. D. de usurp.* 41, 3.

Emtori etiam venditoris iura prodesse non ambigitur. *L.* 28 *C. de evict.* 8, 45.

Usucapere possum, quod auctor meus usucapere non potuit. ULPIANUS: *l.* 5 *pr. D. de divers. temp. pr.* 44. 3.

Accessio sine nostro tempore nobis prodesse non potest. PAULUS: *l.* 16 *D. de divers. temp. pr.* 44, 3.

Usurpatio est usucapionis interruptio. PAULUS: *l.* 2 *D. de usurp.* 41, 3.

Praesumtio.

Praesumtio cedit veritati.

Probatio vincit praesumtionem.

Quilibet praesumitur bonus, usque dum probetur contrarium.

Semel malus semper praesumitur esse malus. *c.* 8 *de R. J. in 6to* 5. 12.

Praesumitur ignorantia, ubi scientia non probatur. *c.* 47 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Negligentia non praesumitur.

Iactare suum nemo praesumitur.

Diligentior praesumitur in re sua dominus quam procurator.

Pro veritate instrumenti semper praesumitur.

Qui contra iura mercatur, bonam fidem praesumitur non habere. *c.* 82 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Non praesumitur testator heredem gravare voluisse.

Hereditatis aditio in dubio non praesumitur.

Quodlibet praedium praesumitur esse a servitute liberum, usque dum probetur contrarium.

Praevaricatio.

Praevaricari est vera crimina abscondere. MARCIANUS: *l.* 1 § 1 *D. ad Sctum Turp.* 48, 16.

Praevaricator est quasi varicator, qui diversam partem adiuvat prodita causa sua. ULPIANUS: *l.* 1 *pr. D. de praevar.* 47, 15.

Precarium.

Precarium est, quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu is, qui concessit, patitur. ULPIANUS: *l.* 1 *D. de precario* 43, 26.

Is, qui precario habet, etiam possidet. ULPIANUS: *l.* 4 § 1 *D. de precario* 43, 26.

Rei suae precarium non est. ULPIANUS: *l*, 4 § 3 *D. de precario* 43, 26.

Unusquisque potest rem suam, quamvis non possideat, precario dare ei, qui possideat. IULIANUS: *l.* 18 *D. de precario* 43, 26.

Ubi moram quis fecit precario, omnem causam debebit constituere. ULPIANUS: *l.* 8 § 6 *D. de precario* 43, 26.

Pretium.

Pretia rerum non ex affectione nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur. PAULUS: *l.* 63 *D. ad leg. Falc.* 35, 2.

Pretia rerum non ex affectione neque utilitate singulorum sed ex communi valore aestimanda sunt.

Princeps.

Princeps legibus solutus est. ULPIANUS: *l.* 31 *D. de legg.* 1, 3.

Digna vox est maiestate regnantis legibus alligatum se principem profiteri. *L.* 4 *C. de legg.* 1, 14.

Principale. Accessorium.

Cum principalis causa non consistit, ne ea quidem, quae sequuntur, locum habent. PAULUS: *l.* 129 § 1 *D. de R. J.* 50, 17 *(cf. l.* 178 *ibid.)*.

Quae accessionum locum obtinent, extinguuntur, cum principales res peremtae fuerint. GAIUS: *l.* 2 *D. de pecul. leg.* 33, 8.

Accessorium naturam sequi congruit principalis. *c.* 42 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Accessorium sequitur suum principale.

Non plus in accessione potest esse quam in principali obligatione.

Privati. Res privatae.

Privatorum conventio iuri publico non derogat. ULPIANUS: *l.* 45 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Ius publicum privatorum pactis mutari non potest. PAPINIANUS: *l.* 38 *D. de pactis* 2, 14.

Scriptura privata pro scribente nihil probat.

Res privatae sunt, quae singulorum sunt. GAIUS: *l.* 1 *pr. D. de div. rer.* 1, 8.

Privilegium.

Privilegia non ex tempore aestimantur, sed ex causa. PAULUS: *l.* 32 *D. de rebus a j.* 42, 5.

Privilegia sunt strictissimae interpretationis.

Immunitates generaliter tributae eo iure, ut ad posteros transmitterentur, in perpetuum succedentibus durant. MODESTINUS: *l.* 4 *D. de jure immun.* 50, 6.

Personis datae immunitates heredibus non relinquuntur. ULPIANUS: *l.* 1 § 1 *D. de jure immun.* 50, 6.

Quod datur personis [privilegium], cum personis amittitur. ULPIANUS: *l.* 1 § 43 *D. de aqua cot.* 43, 20.

Necessitatis tempore silent privilegia.

Privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.

Privilegiatus adversus aeque privilegiatum iure suo non utitur.

Omnes licentiam habent his, quae pro se introducta sunt. renunciare. *L.* 29 *C. de pactis* 2, 3.

Unicuique licet contemnere haec, quae pro se introducta sunt. IULIANUS: *l.* 41 *D. de minor.* 4, 4.

Unicuique integrum est his, quae ipsi a lege data et concessa sunt renunciare. *Nov.* 136 *c.* 1.

Probatio.

Irrelevantia ad probationem non admittuntur.

Notorium non eget probatione.

Manifesta haud indigent probatione.

Scriptura privata pro scribente nihil probat.

Confessio est regina probationum.

Probatio specialis praevalet generali.

Semper necessitas probandi incumbit illi, qui agit. MARCIANUS: *l.* 21 *D. de probat.* 22, 3.

Affirmanti incumbit probatio.

Ei incumbit probatio, qui dicit, non qui negat. PAULUS: *l. D. de probat.* 22, 3.

Negantis probatio nulla est. *L.* 23 *C. de probat.* 4, 19.

Actore enim non probante, qui convenitur, etsi nihil ipse praestat, obtinebit. *L.* 4 *C. de edendo* 2, 1.

Actore non probante reus, etiamsi nihil probaverit, absolvitur.

Non ius [tibi] deficit, sed probatio. PAULUS: *l.* 30 *D. de test. tut.* 26, 2.

Probatio onus petitoris, commodum possessoris.

Prodigus.

Prodigi nulla voluntas est.

Prodigus, si deferat iusiurandum, audiendus non est. PAULUS: *l.* 35 § 1 *D. de jurej.* 12, 2.

Quaestus.

Quaestus enim intelligitur, qui ex opera cuiusque descendit. PAULUS: *l.* 8 *D. pro socio* 17, 2.

Rarum.

Ea, quae raro accidunt, non temere in agendis

negotiis computantur. IULIANUS: *l.* 64 *D. de R. J.* 50, 17.

Quod raro fit, non observant legislatores. *Nov.* 94 *c.* 2.

Ratihabitio.

Ratihabitiones negotiorum gestorum ad illa reduci tempora oportet, in quibus contracta sunt. *L.* 25 *C. de donat. i. v. et u.* 5, 16.

Omnis ratihabitio prorsus retrotrahitur et confirmat ea, quae ab initio subsecuta sunt. *L.* 7 *C. ad Sctum Maced.* 4. 28.

Ratihabitio mandato comparatur. ULPIANUS: *l.* 152 § 2 *D. de R. J.* 50, 17.

Si quis ratum habuerit, quod gestum est, obstringitur mandati exceptione. ULPIANUS: *l.* 60 *D. de R. J.* 50, 17.

Alienum negotium ratihabitione fit meum.

Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum. *c.* 9 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Non tantum verbis ratum haberi potest, sed etiam actu. SCAEVOLA: *l.* 5 *D. ratam rem hab.* 46, 8.

Ratio iuris.

Quod contra rationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentias. PAULUS: *l.* 141 *pr. D. de R. J.* 50, 17.

In his, quae contra rationem iuris constituta sunt, non possumus sequi regulam iuris. IULIANUS: *l.* 15 *D. de legg.* 1, 3.

Receptum.

Qui recipit, tenetur, etiamsi sine culpa eius res periit vel damnum datum est, nisi si quid damno fatali contingit. ULPIANUS: *l.* 3 § 1 *D. nautae caupones* 4. 9.

Regula.

Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.

Remedium.

Remedium extraordinarium locum non habet, nisi deficit ordinarium.

Si [quis] communi auxilio et mero iure munitus sit, non debet ei tribui extraordinarium auxilium.

ULPIANUS: *l.* 16 *pr. D. de minor.* 4, 4.

Renunciatio.

Omnes licentiam habent his, quae pro se introducta sunt, renunciare. *L.* 29 *C. de pactis* 2, 3.

Unicuique licet contemnere haec, quae pro se introducta sunt. IULIANUS: *l.* 41 *D. de minor.* 4. 4.

Unicuique integrum est his, quae ipsi a lege data et concessa sunt, renunciare. *Nov.* 136 *c.* 1.

Ad iura renunciata non datur regressus.

Repetitio.

Quodsi turpis causa accipientis fuerit, etiamsi res secuta sit, repeti potest. PAULUS: *l.* 1 § 2 *D. de condict. ob turp. caus.* 12. 5.

Ex ea stipulatione, quae per vim extorta esset, si exacta esset pecunia, repetitionem esse constat. POMPONIUS: *l.* 7 *D. de condict. ob turp. caus.* 12, 5.

Quod indebitum per errorem solvitur, aut ipsum aut tantundem repetitur. POMPONIUS: *l.* 7 *D. de condict. indeb.* 12, 6.

Cum quis ius ignorans indebitam pecuniam solverit, cessat repetitio. *L.* 10 *C. de j. et f. ignor.* 1, 18.

Si [quis] sciens se non debere solvit, cessat repetitio. ULPIANUS: *l.* 1 § 1 *D. de condict. indeb.* 12, 6.

Ubi et dantis et accipientis turpitudo versatur, non posse repeti dicimus. PAULUS: *l.* 3 *D. de condict. ob turp. caus.* 12, 5.

Repetitio nulla est ab eo, qui suum recepit, tametsi ab alio quam vero debitore solutum est. PAULUS: *l.* 44 *D. de condict. indeb.* 12, 6.

Replicatio.

Replicatio est contraria exceptio quasi exceptionis exceptio. PAULUS: *l.* 22 § 1 *D. de except.* 44, 1.

Replicationes nihil aliud sunt quam exceptiones et a parte actoris veniunt. ULPIANUS: *l.* 2 § 1 *D. de except.* 44, 1.

Repudiatio.

Quod quis, si velit, habere non potest, id repudiare non potest. PAULUS: *l.* 174 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Is potest repudiare, qui et acquirere potest. PAULUS: *l.* 18 *D. de acqu. vel om. her.* 29, 2.

Res.

Rei appellatione et causae et iura continentur. ULPIANUS: *l.* 23 *D. de V. S.* 50, 16.

Appellatione rei pars etiam continetur. PAULUS: *l.* 72 *D. de V. S.* 50, 16.

Plus cautionis in re est quam in persona. POMPONIUS: *l.* 25 *D. de R. J.* 50, 17.

Plus in re est quam in existimatione mentis. PAULUS: *l.* 9 § 4 *D. de j. et f. ignor.* 22, 6.

Minus est actionem habere quam rem. POMPONIUS: *l.* 204 *D. de R. J.* 50, 17.

Res abesse videntur etiam hae, quarum corpus manet, forma mutata est. ULPIANUS: *l.* 13 § 1 *D. de V. S.* 50, 16.

Res consumtibiles.

Res consumtibiles sunt, quae usu consumuntur. Non potest commodari id, quod usu consumitur. ULPIANUS: *l.* 3 § 6 *D. commodati* 13, 6.

Res corporales, incorporales.

Res corporales sunt, quae tangi possunt, res incorporales, quae tangi non possunt. § 1 & 2 *J. de reb. corp.* 2, 2.

Incorporale est, quod in iure consistit. § 1 *J. de reb. corp.* 2, 2.

Incorporales res traditionem et usucapionem non recipiunt. GAIUS: *l.* 43 § 1 *D. de acqu. rer. dom.* 41, 1.

Res divini iuris [sanctae, sacrae, religiosae].

Quod divini iuris est, id nullius in bonis est. GAIUS: *l.* 1 *pr. D. de div. rer.* 1, 8.

Sanctum est, quod ab iniuria hominum defensum atque munitum est. MARCIANUS: *l.* 8 *pr. D. de div. rer.* 1, 8.

Res sacra non recipit aestimationem. ULPIANUS: *l.* 9 § 5 *D. de div. rer.* 1, 8.

Res fungibiles.

Res fungibiles sunt, quae pondere numero mensura consistunt. * *pr. J. quib. mod. re* 3, 15.

Res fungibiles in genere suo functionem recipiunt per solutionem magis quam specie. PAULUS: *l.* 2 § 1 *D. de reb. cred.* 12, 1.

Res succedit in locum pretii et pretium in locum rei.

Res mobiles, immobiles.

Res mobiles sunt, quae salvae et integrae ex loco in locum moveri possunt.

Possessores immobilium rerum satisdare non compelluntur. MACER: *l.* 15 *pr. D. qui satisdare cog.* 2, 8.

Res nullius.

Quod nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. GAIUS: *l.* 3 *pr. D. de acqu. dom.* 41, 1.

Quod nullius esse potest, id ut alicuius fieret, nulla obligatio valet efficere. PAULUS: *l.* 182 *D. de R. J.* 50, 17.

Res simplices, compositae.

Res simplex est, quae continetur uno spiritu, res composita, quae ex contingentibus hoc est pluribus inter se cohaerentibus constat. POMPONIUS: *l.* 30 *pr. D. de usurp.* 41, 3.

Res (causa) communis, par.

In re enim pari potiorem causam esse prohibentis constat. PAPINIANUS: *l.* 28 *D. communi divid.* 10, 3.

In re communi potior est conditio prohibentis. *c.* 56 *de R. J. in 6to* 5, 12.

In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis. *c.* 55 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Res iudicata.

Res iudicata est, quae finem controversiarum pronuntiatione iudicis accipit. MODESTINUS: *l.* 1 *D. de re judic.* 42, 1.

Res iudicata pro veritate accipitur. ULPIANUS: *l.* 25 *D. de statu hom.* 1, 5. *(cf. l.* 207 *D. de R. J.* 50, 16*).*

Non potest uno iudicio res iudicata in partem valere, in partem non valere. PAULUS: *l.* 27 *D. familiae ercisc.* 10, 2.

Exceptio rei iudicatae obstat, quoties inter easdem personas eadem quaestio revocatur. ULPIANUS: *l.* 7 § 4 *D. de except. rei jud.* 44, 2.

Res inter alios iudicatae nullum aliis praeiudicium faciunt. ULPIANUS: *l.* 1 *D. de except. rei jud.* 44, 2.

Res inter alios iudicatae alii non praeiudicant. ULPIANUS: *l.* 7 § 2 *D. de accus.* 48, 2.

Nec inter alios res iudicata alii prodesse aut nocere solet. PAULUS: *l.* 16 *D. qui potiores* 20, 4.

Responsa prudentum.

Responsa prudentum sunt sententiae et opiniones eorum, quibus permissum erat de iure respondere [sive: permissum est iura condere. GAIUS: 1, 7]. § 8 *J. de jure nat.* 1, 2.

Restituere. Reddere.

Dolo facit, qui petit, quod redditurus est. PAULUS: *l.* 173 § 3 *D. de R. J.* 50, 17 *(cf. l.* 8 *pr. D. de doli mali exc.* 44, 4*)*.

Non videbitur reddita res, quae deterior facta redditur. ULPIANUS: *l.* 3 § 1 *D. commodati* 13, 6.

Restitutio in integrum.

Integri restitutio est redintegrandae rei vel causae actio. PAULI: *sent.* I, 7 § 1.

Verbo restitutionis omnis utilitas actoris continetur. PAULUS: *l.* 80 *D. de V. S.* 50, 17.

Restitutio ita facienda est, ut unusquisque in integrum ius suum recipiat. PAULUS: *l.* 24 § 4 *D. de minor.* 4, 4.

Plus est in restitutione quam in exhibitione. GAIUS: *l.* 22 *D. de V. S.* 50, 16.

Non negligentibus subvenitur, sed necessitate rerum impeditis. PAULUS: *l.* 16 *D. ex quib. caus. majus* 4, 6.

Non enim eventus damni restitutionem indulget,

sed inconsulta facilitas. ULPIANUS: *l.* 11 § 4 *D. de minor.* 4. 4.

Ruta caesa.

In rutis caesis ea sunt, quae terra non tenentur quaeque opere structili tectoriove non continentur. SCAEVOLA: *l.* 141 *D. de V. S.* 50, 16.

Ruta caesa ea sunt. quae neque aedium neque fundi sunt. POMPONUS: *l.* 66 § 2 *D. de contr. emt.* 18. 1.

Satisdatio. Cautio.

Nemo alienae rei expromissor idoneus videtur, nisi cum satisdatione. PAULUS: *l.* 110 *D. de R. J.* 50, 17.

Nemo alienae litis idoneus defensor sine satisdatione intelligitur. GAIUS: *l.* 46 § 2 *de D. procurat.* 3, 3.

Fiscus non solet satisdare. ULPIANUS: *l.* 1 § 18 *D. ut legatorum* 36, 3.

Possessores immobilium rerum satisdare non compelluntur. MACER: *l.* 15 *pr. D. qui satisdare cog.* 2, 8.

Plus cautionis in re est quam in persona. POMPONIUS: *l.* 25 *D. de R. J.* 50, 17.

Quoties vitiose cautum vel satisdatum est, non videtur cautum. PAULUS: *l.* 6 *D. qui satisdare cog.* 2. 8.

Scriptum. Scriptura.

Non minus valet quod scriptura quam quod vocibus lingua figuratis significatur. PAULUS: *l.* 38 *D. de O. et A.* 44, 7.

Contra scriptum testimonium non scriptum testimonium non fertur. *L.* 1 *C. de testibus* 4. 20.

Plus actum quam scriptum valet. *L.* 4 *C. plus valere* 4, 22.

Senatusconsultum.

Senatusconsultum est, quod senatus iubet atque constituit. § 5 *J. de jure nat.* 1, 2.

Sequester.

Proprie in sequestre est depositum, quod a pluribus in solidum certa conditione custodiendum reddendumque traditur. PAULUS: *l.* 6 *D. depositi* 16, 3.

Sequester dicitur, apud quem plures eandem rem, de qua controversia est, deposuerunt. MODESTINUS: *l.* 110 *D. de V. S.* 50, 16.

Servitus.

Servitus est qualitas rei imposita, qua quis ius suum deminuit, alterius auxit. ULPIANUS: *l.* 5 § 9 *D. de O. N. N.* 39, 1.

Servitutum non ea natura est, ut aliquid faciat quis, sed ut aliquid patiatur aut non faciat. POMPONIUS: *l.* 15 § 1 *D. de serv.* 8, 1.

Servitus in faciendo consistere nequit.

Servitus servitutis esse non potest. PAULUS: *l.* 1 *D. de usu* 33, 2.

Nemini potest suus fundis servire. ULPIANUS: *l.* 5 *pr. D. si ususfr. pet.* 7, 6.

Nulli enim res sua servit. PAULUS: *l.* 27 *D. de serv. pr. urb.* 8, 2.

Servitus civiliter exercenda est.

Servitutum numerus non est clausus.

Locare servitutem nemo potest. ULPIANUS: *l.* 44 *D. locati conducti* 19, 2.

Omnes servitutes praediorum perpetuas causas habere debent. PAULUS: *l.* 28 *D. de serv. pr. urb.* 8. 2.

In omnibus servitutibus refectio ad eum pertinet, qui sibi servitutem adserit, non ad eum, cuius res servit. ULPIANUS: *l.* 2 § 2 *D. si serv. vind.* 8, 4.

Melior vicini conditio [in servitutibus] fieri potest, deterior non potest. PAULUS: *l.* 20 § 5 *D. de serv. pr. urb.* 8, 2.

Quodlibet praedium praesumitur esse a servitute liberum, usque dum probetur contrarium.

Servus. Servitus.

Servitus est constitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subiicitur.

FLORENTINUS: *l.* 4 § 1 *D de statu hom.* 1, 5.

Dominatio ex gentium iure introducta est.

TRYPHONINUS: *l.* 64 *D. de cond. indeb.* 12, 6.

In servorum conditione nulla est differentia. § 5 *J. de jure pers.* 1, 3.

Servorum una est conditio. MARCIANUS: *l.* 5 *pr. D. de statu hom.* 1, 5.

Servitutem mortalitati fere comparamus. ULPIANUS: *l.* 209 *D. de R. J.* 50, 17.

Servus nullum caput habet. § 4 *J. de cap. demin.* 1. 16.

Servile caput nullum ius habet. PAULUS: *l.* 3 § 1 *D. de capite min.* 4, 5.

Servus nihil suum habere potest. * GAIUS: *l.* 10 § 1 *D. de acqu. rer. dom.* 41, 1.

Quod servus vel procurator vel colonus tenent, dominus videtur possidere. ULPIANUS: *l.* 1 § 22 *D. de vi* 43, 16.

Quodcunque per servum acquiritur, id domino acquiritur. § 1 *J. de his. qui sui* 1, 8.

Etiam invitis nobis per servos acquiritur. GAIUS: *l.* 32 *D. de aequ. rer. dom.* 41, 1.

Servus successores habere non potest. *L.* 4 *C. communia de succ.* 6, 59.

Qui in servitute est, usucapere non potest. ULPIANUS: *l.* 118 *D. de R. J.* 50, 17.

Servus reipublicae causa abesse non potest. PAULUS: *l.* 211 *D. de R. J.* 50, 17.

In personam servilem nulla cadit obligatio. ULPIANUS: *l.* 22 *pr. D. de R. J.* 50, 17.

Servus ex contractibus non obligatur. PAULUS: *l.* 43 *D. de O. et A.* 44, 7.

Cum servo nulla actio est. GAIUS: *l.* 107 *D de R. J.* 50, 17.

Inter dominum et servum nulla obligatio nasci potest. § 6 *J. de noxal. act.* 4, 8.

Melior conditio dominorum per servos fieri potest, deterior fieri non potest. GAIUS: *l.* 133 *D. de R. J.* 50, 17.

Nemini licet sine causa legibus cognita in servos suos supra modum saevire. § 2 *J. de his, qui sui* 1, 8.

Silva [caedua, pascua].

Silva caedua est, quae in hoc habetur. ut caederetur. GAIUS: *l.* 30 *pr. D. de V. S.* 50, 16.

Pascua silva est. quae pascui pecudum destinata est. GAIUS: *l.* 30 § 5 *D. de V. S.* 50. 16.

Simulatio.

Plus valet. quod agitur, quam quod simulate concipitur. *Inscr. C.* 4, 22.

Plus valet, quod actum, quam quod simulatum.

Quae simulate geruntur, pro infectis habentur.

Simulata nullius momenti sunt. * GAIUS: *l.* 30 *D. de R. N.* 23, 2.

Actus simulatus nullius est momenti.

Societas. Socius. Communio.

Societatem coire et re et verbis et per nuntium posse nos dubium non est. MODESTINUS: 4 *pr. D. pro socio* 17, 2.

Nemo invitus compellitur ad communionem. ULPIANUS: *l.* 26 § 4 *D. cond. indeb.* 12. 6.

Rerum inhonestarum nulla est societas. ULPIANUS: *l.* 57 *D. pro socio* 17, 2.

Societas .... flagitiosae rei nullas vires habet. GAIUS: *l.* 35 § 2 *D. de contrah. emt.* 18, 1.

Nulla societas maleficiorum [est]. ULPIANUS: *l.* 1 § 14 *D. tutelae et* 27. 3.

Donationis causa societas recte non contrahitur. ULPIANUS: *l.* 5 § 2 *D. pro socio* 17, 2.

Talis societas [i. e. leonina] nulla est, ut alter

lucrum sentiret, alter vero nullum lucrum, sed damnum sentiret: iniquissimum enim genus societatis est, ex qua quis damnum, non etiam lucrum spectet.

ULPIANUS: *l.* 29 § 2 *D. pro socio* 17, 2.

In societate non intelligitur lucrum nisi omni damno deducto neque damnum nisi omni lucro deducto.

PAULUS: *l.* 30 *D. pro socio* 17, 2.

Socius socio etiam culpae nomine tenetur, id est desidiae atque negligentiae. GAIUS: *l.* 72 *D. pro socio* 17, 2.

Sufficit talem diligentiam in communibus rebus adhibere socium, qualem suis rebus adhibere solet.

§ 9 *J. de societ.* 3, 26.

Refertur ad universos, quod publice fit per maiorem partem. ULPIANUS: *l.* 160 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Societas ius quodammodo fraternitatis in se habet.

ULPIANUS: *l.* 63 *pr. D. pro socio* 17, 2.

Iure societatis per socium aere alieno socius non obligatur, nisi in communem arcam pecuniae versae sunt. PAPINIANUS: *l.* 82 *D. pro socio* 17, 2.

In re communi nemo dominorum iure facere quidquam invito altero potest. PAPINIANUS: *l.* 28 *D. communi divid.* 10, 3.

In societate omnium bonorum omnes res, quae coëuntium sunt, continuo communicantur. PAULUS: *l.* 1 § 1 *D. pro socio* 17, 2.

Socii mei socius meus socius non est. ULPIANUS: *l.* 47 § 1 *D. de R. J.* 50, 17 *et l.* 20 *D. pro socio* 17, 2.

In commune vel societate nemo compellitur invitus detineri. *L.* 5 *C. communi divid.* 3, 37.

Nulla societatis in aeternum coitio est. PAULUS: *l.* 70 *D. pro socio* 17, 2.

Communio est mater rixarum.

Tamdiu societas durat, quamdiu consensus partium integer perseverat. *L.* 5 *C. pro socio* 4, 37.

Solutio. Solvendo esse.

Solutionis verbum pertinet ad omnem liberationem quoquo modo factam. PAULUS: *l.* 54 *D. de solut.* 46, 3.

Liberationis verbum eandem vim habet quam solutionis. PAULUS: *l.* 47 *D. de V. S.* 50. 17.

Dedisse intelligendus est etiam is, qui permutavit vel compensavit. PAULUS: *l.* 76 *D. de V. S.* 50, 16.

Qui mandat solvi, ipse videtur solvere. PAULUS: *l.* 56 *D. de solut.* 46, 3.

Quod iussu alterius solvitur, pro eo est, quasi ipsi solutum esset. PAULUS: *l.* 180 *D. de R. J.* 50, 17.

Solvendo quisque pro alio licet invito et ignorante liberat eum. GAIUS: *l.* 39 *D. de neg. gestis* 3, 5.

Solvere pro ignorante et invito cuique licet. GAIUS: *l.* 53 *D. de solut.* 46, 3.

Aliud pro alio invito creditori solvi non potest. PAULUS: *l.* 2 § 1 *D. de rebus cred.* 12, 1.

Tollitur omnis obligatio solutione eius, quod debetur. § 1 *J. quib. mod. toll. oblig.* 3, 30.

Reproba pecunia non liberat solventem. ULPIANUS: *l.* 24 § 1 *D. de pign. act.* 13, 7.

Minus solvit, qui tardius solvit, nam et tempore minus solvitur. ULPIANUS: *l.* 12 § 1 *D. de V. S.* 50, 16.

Quod certa die promissum est, vel statim dari potest: totum enim medium tempus ad solvendum promissori liberum relinqui intelligitur. CELSUS: *l.* 70 *D. de solut.* 46, 3.

Quod quis aliquo anno dare promittit aut dare damnatur, ei potestas est quolibet eius anni die dandi. POMPONIUS: *l.* 50 *D. de O. et A.* 44, 7.

Nihil peti potest ante id tempus, quo per rerum naturam persolvi possit. CELSUS: *l.* 186 *D. de R. J.* 50, 17.

Prout quidque contractum est, ita et solvi debet. POMPONIUS: *l.* 80 *D. de solut.* 46, 3.

Solvendo esse nemo intelligitur, nisi qui solidum potest solvere. IAVOLENUS: *l.* 144 *D. de V. S.* 50, 16.

Nemo dubitat solvendo videri eum, qui defenditur. ULPIANUS: *l.* 95 *D. de R. J.* 50, 17.

Species. Genus.

Semper specialia generalibus insunt. GAIUS: *l.* 147 *D. de R. J.* 50, 17.

In toto iure generi per speciem derogatur et illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est. PAPINIANUS: *l.* 80 *D. de R. J.* 50, 17.

Species generi derogat. PAPINIANUS: *l.* 41 *D. de poenis* 48, 19 *(cf. c.* 34 *de R. J. in 6to* 5, 12*)*.

Species perit ei, cui debetur.

Debitor speciei liberatur interitu rei.

Genus perire non censetur.

Sponsalia. Sponsus. Sponsa.

Sponsalia sunt mentio et repromissio nuptiarum futurarum. FLORENTINUS: *l.* 1 *D. de sponsal.* 23, 1.

Sufficit nudus consensus ad constituenda sponsalia. ULPIANUS: *l.* 4 *D. de sponsal.* 23, 1.

Sponsalia consensu contrahentium fiunt. IULIANUS: *l.* 11 *D. de sponsal.* 23, 1.

In sponsalibus etiam consensus eorum exigendus est, quorum in nuptiis desideratur. PAULUS: *l.* 7 § 1 *D. de sponsal.* 23, 1.

Cum qua nuptiae contrahi non possunt, haec plerumque ne quidem desponderi potest. PAULUS: *l.* 60 § 5 *D. de R. N.* 23, 2.

Quae virum luget, intra id tempus sponsam fieri non nocet. PAULUS: *l.* 10 § 1 *D. de his, qui notantur.* 3, 2.

Furor postea interveniens sponsalia non infirmat. GAIUS: *l.* 8 *D. de sponsal.* 23, 1.

Non potest curator esse sponsae sponsus. MODESTINUS: *l.* 1 § 5 *D. de excusat.* 27, 1.

Sponsi nullus luctus est. PAULUS: *l.* 9 *D. de his, qui notantur* 3, 2.

Stipulatio.

Stipulatio est verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, daturum facturumve se, quod interrogatus est, responderit. POMPONIUS: *l.* 5 § 1 *D. de V. O.* 45, 1.

Stipulatio certa est, cum ex ipsa pronuntiatione apparet, quid quale quantumve sit in stipulatione:

incerta, ubi id non apparet. * GAIUS: *l.* 74 § 1 *D. de V. O.* 45, 1 & ULPIANUS: *l.* 75 *pr. D. de V. O.* 45, 1.

Stipulatio non potest confici nisi utroque loquente. ULPIANUS: *l.* 1 *pr. D. de V. O.* 45, 1.

Continuus actus stipulantis et promittentis esse debet. VENULEIUS: *l.* 137 *pr. D. de V. O.* 45, 1.

Qui loqui potest, creditur et stipulari et promittere recte posse. GAIUS: *l.* 1 § 13 *D. de O. et A.* 44, 7.

Alteri stipulari nemo potest. ULPIANUS: *l.* 38 § 17 *D. de V. O.* 45, 1.

Nemo rem suam utiliter stipulatur. ULPIANUS: *l.* 82 *pr. D. de V. O.* 45, 1.

Supscriptio.

Subscribens consentire subscriptis censetur.

Successio. Successor.

Qui in ius dominiumve alterius succedit, iure eius uti debet. PAULUS: *l.* 177 *pr. D. de R. J.* 50, 17 *(cf. c.* 46 *de R. J. in 6to* 5, 12*)*.

Non debeo melioris conditionis esse quam auctor meus, a quo ius in me transit. PAULUS: *l.* 175 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Nemo plus commodi heredi suo relinquit quam ipse habuit. PAULUS: *l.* 120 *D. de R. J.* 50, 17.

Traditio nihil amplius transferre debet vel potest ad eum, qui accipit, quam est apud eum, qui tradit. ULPIANUS: *l.* 20 *pr. D. de acqu. rer. dom.* 41, 1.

Quod ipsis, qui contraxerunt, obstat, et successoribus eorum obstabit. ULPIANUS: *l.* 143 *D. de R. J.* 50, 17.

Qui in alterius locum succedit, iustam habet causam ignorantiae, an id. quod peteretur, deberetur. GAIUS: *l.* 42 *D. de R. J.* 50, 17.

Cum quis in ius succedit alterius, iustam ignorantiae causam censetur habere. *c.* 14 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Tempora auctoris et successoris coniunguntur.

Successionis ab intestato ordines:

Descendens omnis succedit in ordine primo,
Ascendens propior, germanus, filius eius,
Tunc latere ex uno frater, quoque filius eius,
Denique proximior reliquorum quisque superstes.

Superficies.

Superficies ad dominum soli pertinet. ULPIANUS: *l.* 50 *D. ad leg. Aqu.* 9, 2.

Superficies solo cedit.

Nunquam superficies sine solo capi longo tempore potest. ULPIANUS: *l.* 26 *D. de usurp.* 41, 3.

Si solum usucapi non poterit, nec superficies usucapitur. MARCIANUS: *l.* 39 *D. de usurp.* 41, 3.

Superfluum. Abundans.

Non solent, quae abundant, vitiare scripturas. ULPIANUS: *l.* 94 *D. de R. J.* 50, 17.

Superflua non nocent.

Supervacua scriptura non nocet legato. PAULUS: *l.* 26 § 1 *D. de adim. leg.* 34, 4.

Superflua admittere securius est quam necessaria omittere.

Superfluum non est, quod ad declarationem ponitur.

Suum. Proprium.

Non amplius quam semel res mea esse potest. PAULUS: *l.* 14 § 2 *D. de except. rei jud.* 44. 2.

Quod proprium est alicuius, amplius eius fieri non potest.

Qui rem propriam conduxit, existimans alienam, dominium non transfert, sed inefficacem conductionis contractum facit. *L.* 20 *C. de locato* 4, 65.

Suae rei emtio non valet. POMPONIUS: *l.* 16 *pr. D. de contrah. emt.* 18, 1.

Rei propriae emtio non potest consistere. *L.* 4 *C. de contrah. emt.* 4, 38.

Nemo rem suam utiliter stipulatur. ULPIANUS: *l.* 82 *pr. D. de V. O.* 45, 1.

Rei suae precarium non est. ULPIANUS: *l.* 4 § 3 *D. de precario* 43, 26.

Rei suae pignus non consistit.

Nulli enim res sua servit. PAULUS: *l.* 27 *D. de serv. pr. urb.* 8, 2.

Tacere.

Qui tacet, non utique fatetur, sed tamen verum est eum non negare. PAULUS: *l.* 142 *D. de R. J.* 50, 17.

Is, qui tacet, non fatetur: sed nec utique negare videtur. *c.* 44 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Qui tacet, consentire videtur. *c.* 43 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Tempus.

Sicut prior es tempore, prior es iure. *L.* 4 *C. qui potiores* 8, 18.

Qui prior est tempore, potior est iure. *c.* 54 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Inesse videtur tempus tam operarum praestationi quam itineri. PAULUS: *l.* 20 § 5 *D. de statu lib.* 40, 7.

Testamentum.

Testamentum est voluntatis nostrae iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult. MODESTINUS: *l.* 1 *D. qui testam. fac.* 28, 3.

Is, cui lege bonis interdictum est, testamentum facere non potest. ULPIANUS: *l.* 18 *D. qui testam. fac.* 28, 1.

Idem ex parte testatus et ex parte intestatus decedere nequit nisi sit miles. § 5 *J. de hered. instit.* 2, 14.

In eo, qui testatur, eius temporis, quo testamentum facit, integritas mentis, non corporis sanitas exigenda est. LABEO: *l.* 2 *D. qui testam. fac.* 28, 1.

Uno contextu actus testari oportet. Est autem „uno contextu“ nullum actum alienum testamento intermiscere. ULPIANUS: *l.* 21 § 3 *D. qui testam. fac.* 28, 1.

Certum consilium debet esse testantis. ULPIANUS: *XXII,* 4.

Heredes [in testamento nuncupativo] palam, ita ut exaudiri possint, nuncupandi sunt. ULPIANUS: *l.* 21 *pr. D. qui testam. fac.* 28, 1.

Qui testamento heres instituitur, in eodem testa-

mento testis esse non potest. ULPIANUS: *l.* 20 *pr. D. qui testam. fac.* 28, 1.

Caput atque fundamentum intelligitur totius testamenti heredis institutio. § 34 *J. de legatis* 2, 20.

Falsa demonstratio in testamento non nocet.

Dies incertus conditionem in testamento facit. PAPINIANUS: *l.* 75 *D. de condit. et dem.* 35, 1.

Captatoriae scripturae neque in hereditatibus neque in legatis valent. GAIUS: *l.* 64 *D. de legatis I.*

Impossibilis conditio in ultimis voluntatibus pro non scripta habetur. * § 10 *J. de hered. inst.* 2, 14.

Impossibiles conditiones testamento adscriptae pro nullis habendae sunt. ULPIANUS: *l.* 3 *D. de condit. et dem.* 35, 1.

Quod impossibile in testamento scriptum est, nullam vim habet. ALFENUS: *l.* 45 *D. de hered. instit.* 28, 5.

In conditionibus testamentorum voluntatem potius quam verba considerari oportet. PAPINIANUS: *l.* 101 *D. de condit. et dem.* 35, 1.

Quae in testamento ita sunt scripta, ut intelligi non possint, perinde sunt, ac si scripta non essent. SCAEVOLA: *l.* 73 § 3 *D. de R. J.* 50, 17.

Cum in testamento ambigue aut etiam perperam scriptum est, benigne interpretari et secundum id, quod credibile est cogitatum, credendum est. MARCELLUS: *l.* 24 *D. de reb. dub.* 34, 5.

Cum in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis quaestio. PAULUS: *l.* 25 § 1 *D. de legatis III.*

Non aliter a significatione verborum recedi oportet,

quam cum manifestum est aliud sensisse testatorem. MARCELLUS: *l.* 69 *pr. D. de legatis III.*

In testamentis plenius voluntates testantium interpretantur. PAULUS: *l.* 12 *D. de R. J.* 50, 17.

Testator non praesumitur frustra testari voluisse.

Non praesumitur testator heredem gravare voluisse.

Posteriore testamento, quod iure perfectum est, superius rumpitur. § 2 *J. quib. mod. test.* 2, 17,

Nemo enim eam sibi potest legem dicere, ut a priore ei recedere non liceat. HERMOGENIANUS: *l.* 22 *D. de legatis III.*

Ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad vitae supremum exitum. ULPIANUS: *l.* 4 *D. de adim. leg.* 34, 4.

Si nemo subiit hereditatem, omnis vis testamenti solvitur. PAULUS: *l.* 181 *D. de R. J.* 50, 17.

Inutile est testamentum, in quo nemo heres instituitur. § 2 *J. de fideicomm. hered.* 2, 23.

Sine heredis institutione nihil in testamento scriptum valet. MODESTINUS: *l.* 1 § 3 *D. de v. et p. substit.* 28, 6.

Cum inofficiosum testamentum arguitur, nihil ex eo testamento valet. PAULUS: *l.* 28 *D. de inoff. testam.* 5, 2.

Inofficiosum testamentum dicere hoc est allegare, quare exheredari vel praeteriri non debuerit. MARCELLUS: *l.* 3 *D. de inoff. testam.* 5, 2.

Qui intestatus moritur, creditur proximis heredibus suis sponte sua relinquere legitimam hereditatem.

Intestatus est non tantum, qui testamentum non

fecit, sed etiam cuius ex testamento hereditas adita non est. PAULUS: *l.* 64 *D. de V. S.* 50, 16.

Testis. Testimoninm.

Testimonium ab his praecipue exigendum est, quorum fides non vacillat. * ARCADIUS: *l.* 1 *pr. D. de testibus* 22, 5.

Testium fides diligenter examinanda est. CALLISTRATUS: *l.* 3 *pr. D. de testibus* 22, 5.

Testis in uno falsus in nullo fidem meretur.

Idonei non videntur esse testes, quibus imperari potest, ut testes fiant. LICINIUS RUFINUS: *l.* 6 *D. de testibus* 22, 5.

Nullus idoneus testis in re sua intelligitur. POMPONIUS: *l.* 10 *D. de testibus* 22, 5.

Omnibus in re propria dicendi testimonii facultatem iura submoverunt. *L.* 10 *C. de testibus* 4, 20.

Varium et mutabile testimonium semper femina producit. *c.* 10 *X de V. S.* 5, 40.

Contra scriptum testimonium non scriptum testimonium non fertur. *L.* 1 *C. de testibus* 4, 20.

Ubi numerus testium non adiicitur, etiam duo sufficiunt: pluralis enim elocutio duorum numero contenta est. ULPIANUS: *l.* 12 *D. de testibus* 22, 5.

Testis non est iudicare.

Testes et documenta per productionem fiunt communia.

In omni voluntate, excepto testamento, quinque testes debent adhiberi. *L.* 8 § 3 *C. de codic.* 6, 36.

Qui testamento heres instituitur, in eodem testa-

mento testis esse non potest. ULPIANUS: *l.* 20 *pr. D. qui testam. fac.* 28, 1.

Thesaurus.

Thesaurus est vetus quaedam depositio pecuniae, cuius non exstat memoria. ut iam dominum non habeat. PAULUS: *l.* 31 § 1 *D. de acqu. rer. dom.* 41, 1.

Thesaurus donum fortunae creditur. TRYPHONIUS: *l.* 63 § 1 *D. de acqu. rer. dom.* 41, 1.

Tignum.

Tigni appellatione continetur omnis materia, ex qua aedificium constat, vineaeque necessaria. ULPIANUS: *l.* 1 § 1 *D. de tigno juncto* 47, 3.

Appellatione tigni omnes materiae significantur, ex quibus aedificia fiunt. § 29 *J. de rer. div.* 2, 1 & GAIUS: *l.* 7 § 10 *D. de acqu. rer. dom.* 41, 1.

Transactio.

Transacta finitave intelligere debemus non solum, quibus controversia fuit, sed etiam quae sine controversia sint possessa. PAULUS: *l.* 229 *D. de V. S.* 50, 16.

Transactio nullo dato vel retento seu promisso minime procedit. *L.* 38 *O. de transact.* 2, 4.

Nec enim corrumpi aut mutari, quod recte transactum est, superveniente delicto potest. PAULUS: *l.* 2 *D. de itinere* 43, 19.

Sub praetextu specierum post repertarum generali transactione finita rescindi prohibent iura. *L.* 29 *C. de transact.* 2, 4.

Dolo enim facit, qui contra transactionem expertus amplius petit. Ulpianus: *l.* 23 § 3 *D. de condict. indeb.* 12, 6.

Transactio est instar rei iudicatae.

Turpe. Contra bonos mores.

Pacta, quae turpem causam continent, non sunt observanda. Paulus: *l.* 27 § 4 *D. de pactis* 2, 14.

Omnimodo huiusmodi pacta, quae contra bonos mores inita sunt, repelluntur nihilque ex his pactionibus observatur. *L.* 30 *C. de pactis* 2, 3.

Pacta, quae contra leges constitutionesque vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati iuris est. *L.* 6 *C. de pactis* 2, 3.

Generaliter novimus turpes stipulationes nullius esse momenti. Ulpianus: *l.* 26 *D. de V. O.* 45, 1.

Mandatum non est obligatorium, quod contra bonos mores est. § 7 *J. de mandato* 3, 27.

Societas aut mandatum flagitiosae rei nullas vires habet. Gaius: *l.* 35 § 2 *D. de contrah. emt.* 18, 1.

Rerum inhonestarum nulla est societas. Ulpianus: *l.* 57 *D. pro socio* 17, 2.

Non est obligatorium contra bonos mores praestitum iuramentum. *c.* 38 *de R. J. in* 6*to* 5, 12.

Conditiones, quae contra bonos mores inseruntur, remittendae sunt. Paulus: *l.* 9 *D. de cond. inst.* 28, 7.

Quodsi turpis causa accipientis fuerit, etiamsi res secuta sit, repeti potest. Paulus: *l* 1 § 2 *D. de cond. ob turp. caus.* 12, 5.

Tutela. Tutor.

Tutela est vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter aetatem suam sponte se defendere nequit. PAULUS: *l.* 1 *pr. D. de tutelis* 26, 1.

Tutor personae, non rei vel causae datur. MARCIANUS: *l.* 14 *D. de test. tut.* 26, 2.

Tutoris praecipuum officium est, ne indefensum pupillum relinquat. MARCELLUS: *l.* 30 *D. de administr. tut.* 26, 7.

Tutor non rebus duntaxat, sed etiam moribus pupilli praeponitur. PAULUS: *l.* 12 § 3 *D. de administr. tut.* 26, 7.

Tutor incertus dari non potest. PAULUS: *l.* 20 *pr. D. de test. tut.* 26, 2.

Datus autem tutor ad universum patrimonium datus esse creditur. § 17 *J. de excus. tut.* 1, 25.

Habenti tutorem tutor dari non potest. § 5 *J. de curat.* 1, 23.

Feminae tutores dari non possunt [praeterquam mater et avia]. NERATIUS: *l.* 18 *D. de tutelis* 26, 1.

Pupillus sine tutoris auctoritate non obligatur iure civili. PAULUS: *l.* 34 *D. de O. et A.* 44, 7.

Iudicium infantis suppletur auctoritate tutoris. PAULUS: *l.* 32 § 2 *D. de acqu. vel am. poss.* 41, 2.

Impuberes sine tutore agentes nihil posse scire intelliguntur. PAPINIANUS: *l.* 10 *D. de j. et f. ignor.* 22, 2.

Si pupillus praesens sit, tutorem autem non habeat, pro absente habendus est. ULPIANUS: *l.* 10 *D. quibus ex caus.* 42, 4.

Pupillo solvi sine tutoris auctoritate non potest. PAULUS: *l.* 15 *D. de solut.* 46, 3.

Pupillus omnia tutore auctore agere potest. PAULUS: *l.* 5 *D. de R. J.* 50, 17.

Si tutor pupillo nolet auctor fieri, non debet eum praetor cogere. PAULUS: *l.* 17 *D. de auctor. tut.* 26, 8.

Nulla differentia est, non interveniat tutoris auctoritas an perperam adhibeatur. ULPIANUS: *l.* 2 *D. de auctor. tut.* 26, 8.

Tutor in rem suam auctor esse non potest. § 3 *J. de auctor. tut.* 1, 21.

In rem suam auctoritatem accommodare tutor non potest. ULPIANUS: *l.* 7 *pr. D. de auctor. tut.* 26, 8.

Lucrum facere ex tutela [quis] non debet. SCAEVOLA: *l.* 58 *pr. D. de administr. tut.* 26, 7.

Tutor statim in ipso negotio praesens debet auctor fieri. GAIUS: *l.* 9 § 5 *D. de auctor. tut.* 26, 8.

Dolus tutorum puero neque nocere neque prodesse debet. PAPINIANUS: *l.* 3 *D. quando ex facto* 26, 9.

Universitas. Collegium.

In universitatibus nihil refert, utrum omnes iidem maneant an pars maneat vel omnes immutati sint. ULPIANUS: *l.* 7 § 2 *D. quod cuiuscunque* 3, 4.

Quod maior pars curiae effecit, pro eo habetur, ac si omnes egerint. SCAEVOLA: *l.* 19 *D. ad municipalem* 50, 1.

Refertur ad universos, quod publice fit per maiorem partem. ULPIANUS: *l.* 60 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Si quid universitati debetur, singulis non debetur:

nec quod debet universitas, singuli debent. ULPIANUS: *l.* 7 § 2 *D. quod cujuscunque* 3, 4.

Universitas delinquere nequit.

Universitas rerum est, quae ex distantibus constat, ut corpora plura non soluta, sed uni nomini subiecta. POMPONIUS: *l.* 30 *pr. D. de usurp.* 41, 3.

Neratius Priscus tres facere existimat collegium. MARCELLUS: *l.* 85 *D. de V. S.* 50, 16.

Usurae.

Usurae vicem fructum obtinent et merito non debent a fructibus separari. ULPIANUS: *l.* 34 *D. de usuris* 22, 1.

Usura non natura pervenit, sed iure percipitur. PAPINIANUS: *l.* 62 *D. de R. V.* 6, 1.

Lite contestata usurae currunt. PAULUS: *l.* 35 *D. de usuris* 22, 1.

In bonae fidei contractibus ex mora usurae debentur. MARCIANUS: *l.* 32 § 2 *D. de usuris* 22, 1.

Liberalitatis in rem publicam factae usurae non exiguntur. PAULUS: *l.* 16 *pr. D. de usuris* 22, 1.

Nullo modo licet cuiquam usuras praeteriti temporis vel futuri in sortem redigere et earum iterum usuras stipulari. *L.* 28 *C. de usuris* 32, 4.

Usuras illicitas sorti mixtas ipsas tantum non deberi constat, ceterum sortem non vitiare. PAULUS: *l.* 20 *D. de usuris* 22, 1.

Usurpatio.

Usurpatio est usucapionis interruptio. PAULUS: *l.* 2 *D. de usurp.* 41, 3.

Usus.

Usus est pro possessione.

Usus non potest a persona separari.

Cui usus relictus est, uti potest, frui non potest. ULPIANUS: *l.* 2 *pr. D. de usu* 7, 8.

Frui pro parte possumus, uti pro parte non possumus. PAULUS: *l.* 19 *D. de usu* 7, 8.

Ususfructus.

Ususfructus est ius rebus alienis utendi fruendi salva rerum substantia. PAULUS: *l.* 1 *D. de usufr.* 7, 1.

Ususfructus sine persona constitui non potest. HERMOGENIANUS: *l.* 61 § 1 *D. de acqu. rer. dom.* 41, 1.

Ususfructus sine persona esse non potest. PAULUS: *l.* 26 *D. de stipul. serv.* 45, 3.

Ususfructus non portioni, sed homini accrescit. PAULUS: *l.* 14 § 1 *D. de except. rei. jud.* 44, 2.

Ususfructus usucapi non potest. PAPINIANUS: *l.* 44 § 5 *D. de usurp.* 41, 3.

Naturaliter videtur possidere is, qui usumfructum habet. ULPIANUS: *l.* 12 *pr. D. de acqu. vel am. poss.* 41, 2.

Ususfructus a proprietate separationem recipit. § 1 *J. de usufr.* 2, 4.

Fructuarius causam proprietatis deteriorem facere non debet, meliorem facere potest. ULPIANUS: *l.* 13 § 4 *D. de usufr.* 7, 1.

Fructuarius custodiam praestare debet. PAULUS: *l.* 2 *D. usufr. quemadm. cav.* 7, 9.

Usufructu legato omnis fructus rei ad fructuarium pertinet. ULPIANUS: *l.* 7 *pr. D. de usufr.* 7, 1.

Ususfructus alienari non potest. ULPIANUS: *l.* 3 § 5 *D. de rebus eor.* 27, 9.

Rei mutatione interit ususfructus. ULPIANUS: *l.* 5 § 2 *D. quib. mod. ususfr.* 7, 4.

Amittitur ususfructus, cum etiam ipsa proprietas eo casu amittatur. POMPONIUS: *l.* 23 *D. quib. mod. ususfr.* 7, 4.

Ususfructus amissus ad proprietatem recurrit. *Pauli Sent. III.* 6 § 28.

Utilitas publica, communis.

Utilitas publica praeferenda est privatorum contractibus. *L.* 3 *C. de primipilo* 12, 63.

Cuius effectus omnibus prodest, eius et partes ad omnes pertinent. PAULUS: *l.* 148 *D. de R. J.* 50, 17.

Veritas.

Res iudicata pro veritate accipitur. ULPIANUS: *l.* 207 *D. de R. J.* 50, 17.

Errore veritas non amittitur. ULPIANUS: *l.* 6 *pr. D. ad municip.* 50, 1.

Veritas rerum erroribus gestarum non vitiatur. ULPIANUS: *l.* 6 § 1 *D. de off. praes.* 1, 18.

Falsa demonstratione mutari substantia veritatis minime potest. *L.* 5 *C. de j. et f. ignor.* 1, 18.

Via publica.

Viam publicam eam dicimus, cuius etiam solum publicum est. ULPIANUS: *l.* 2 § 21 *D. ne quid in loco* 43, 8.

Uti via publica nemo recte prohibetur. *L.* 11 *C. de servitut.* 3, 34.

Viam publicam populus non utendo amittere non potest. IAVOLENUS: *l.* 2 *D. de via publica* 43, 11.

Vicinus.

Melior vicini causa [in servitutibus] fieri potest, deterior non potest. PAULUS: *l.* 20 § 5 *D. de serv. pr. urb.* 8, 2.

Vis. Spolium.

Vis est maioris rei impetus, qui repelli non potest. PAULUS: *l.* 2 *D. quod metus c.* 4, 2.

Quodcunque vi atroci fit, id metu quoque fieri videtur. ULPIANUS: *l.* 1 *D. quod metus c.* 4, 2.

Vis legibus inimica.

Nihil consensui tam contrarium est quam vis atque metus. ULPIANUS: *l.* 116 *pr. D. de R. J.* 50, 17.

Non videtur vim facere, qui iure suo utitur. PAULUS: *l.* 155 § 1 *D. de R. J.* 50, 17.

Non videor vi possidere, qui ab eo, quem scirem vi in possessione esse, fundum accipiam. ULPIANUS: *l.* 3 § 10 *D. uti possidetis* 43, 17.

Vis est et tunc, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per iudicem reposcit. CALLISTRATUS: *l.* 7 *D. ad leg. Jul. de vi priv.* 48, 7.

Vi deiectus videtur, et qui in praedio retinetur. *Pauli Sent. V,* 6 § 6.

Vim vi defendere omnes leges omniaque iura permittunt. PAULUS: *l.* 45 § 4 *D. ad leg. Aquil.* 9, 2.

Vim vi repellere licet. ULPIANUS: *l.* 1 § 27 *D. de vi* 43, 16.

Qui vim facit, dolo malo facit.

Venditiones, donationes, transactiones, quae per potentiam extortae sunt, praecipimus infirmari. *L.* 12 *C. de his, quae vi* 2, 20.

Ex ea stipulatione, quae per vim extorta esset, si exacta esset pecunia, repetitionem esse constat. POMPONIUS: *l.* 7 *D. de condict. ob turp. caus.* 12, 5.

Si de vi et possessione quaeratur, prius cognoscendum est de vi quam de proprietate rei. CALLISTRATUS: *l,* 37 *D. de judiciis* 5, 1.

Spoliatus ante omnia restituendus.

Spolium sine possessione non committitur.

Vitiosum. Inutile.

Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere. [Regula Catoniana.] PAULUS: *l.* 29 *D. de R. J.* 50, 17.

Quod non rite factum est, pro infecto habetur.

Idem est non facere et non legitime facere.

Utile non debet per inutile vitiari. *c.* 37 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Voluntas. Consensus. Invitus. Nolle.

Consentire dicuntur, quibus idem placet.

Qui tacet, consentire videtur. *c.* 43 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Non consentiunt, qui errant. ULPIANUS: *l.* 15 *D.*

Non videntur, qui errant, consentire. ULPIANUS: *l.* 116 § 2 *D. de R. J.* 50, 17.

Error enim litigatorum non habet consensum. ULPIANUS: *l.* 2 *pr. D. de judiciis* 5, 1.

Nulla voluntas errantis est. POMPONIUS: *l.* 20 *D. de aqua* 39, 3.

Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris vel domini. ULPIANUS: *l.* 4 *D. de R. J.* 50, 17.

Nihil consensui tam contrarium est quam vis atque metus. ULPIANUS: *l.* 116 *pr. D. de R. J.* 50, 17.

Furiosi .... nulla voluntas est. POMPONIUS: *l.* 40 *D. de R. J.* 50, 17.

Prodigi nulla voluntas est.

Iocus consensui adversatur.

In conventionibus contrahentium voluntatem potius quam verba spectari placuit. PAPINIANUS: *l.* 219 *D. de V. S.* 50, 16.

Nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitaverit. CELSUS: *l.* 7 § 2 *D. de supell. leg.* 33, 10.

Voluntates legitime contrahentium omnimodo conservandae sunt. *L.* 6 *C. pro socio* 4, 37.

Posterior voluntas potior haberi debet. GAIUS: *l.* 90 *D. de condit. et demonstr.* 35, 1.

Novissima enim voluntas servatur. PAULUS: *l.* 6 § 2 *D. de adim. leg.* 34, 4.

Ambulatoria est voluntas defuncti usque ad vitae supremum exitum. ULPIANUS: *l.* 4 *D. de adim. leg.* 34, 4.

Nemo enim eam sibi potest legem dicere, ut a priori ei recedere non liceat. HERMOGENIANUS: *l.* 22 *pr. D. de legatis III.*

Quod consensu contractum est, contrariae voluntatis adminiculo dissolvitur. *L.* 1 *C. quando liceat* 4, 45.

Quae consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvuntur. § 4 *J. quib. mod. toll. oblig.* 3, 30.

Nudi consensus obligatio contrario consensu dissolvitur. ULPIANUS: *l.* 35 *D. de R. J.* 50, 17.

Nullam potest videri iniuriam accipere, qui semel voluit. PAULUS: *l.* 9 § 1 *D. de aqua* 39, 3.

Volenti non fit iniuria.

Scienti et consentienti non fit iniuria neque dolus. *c.* 27 *de R. J. in 6to* 5, 12.

Nunquam volentibus dolus infertur. *L.* 34 *C. de pactis* 2, 3.

Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt et consentiunt. ULPIANUS: *l.* 145 *D. de R. J.* 50, 17.

Eius est nolle, qui potest velle. ULPIANUS: *l.* 3 *D. de R. J.* 50, 17.

Invito beneficium non datur. PAULUS: *l.* 69 *D. de R. J.* 50, 17.

Non potest liberalitas nolenti acquiri. ULPIANUS: *l.* 19 § 2 *D. de donat.* 39, 5.

Nemo invitus donat.

Inviti regotia non geruntur.

Inviti adolescentes curatores non accipiunt praeterquam in litem. § 2 *J. de curatoribus* 1, 23.

Invitus procurationem suscipere nemo cogitur. *L.* 17 *C. de procurator.* 2, 13.

Nemo invitus compellitur ad communionem. ULPIANUS: *l.* 26 § 4 *D. de condict. indeb.* 12, 6.

Solvere pro ignorante et invito cuique licet. GAIUS: *l.* 53 *D. de solut.* 46, 3.

Solvendo quisque pro alio licet invito et ignorante liberat eum. GAIUS: *l.* 39 *D. de negot. gestis* 3, 5.

Invitus agere vel accussare nemo cogatur. *L. un. C. ut nemo invitus* 3, 7.

Invitus nemo rem cogitur defendere. ULPIANUS: *l.* 156 *pr. D. de R. J.* 50, 17.

Vox. Verba. Dictum.

Nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitaverit. CELSUS: *l.* 7 § 2 *D. de supell. leg.* 33, 10.

In conventionibus contrahentium voluntatem potius quam verba spectari placuit. PAPINIANUS: *l.* 219 *D. de V. S.* 50, 16.

FINIS.

INDEX.

	pag.
Absentia	1
Abundans v. Superfluum.	
Acceptilatio	1
Accessorium v. Principale.	
Accusatio	2
Actio	2
Actor. Reus . . .	3
Actus v. Negotium.	
Actus (servitus) v. Iter.	
Adoptio	4
Adventitium . . .	5
Aedificium	6
Aequitas	6
Aes alienum . . .	6
Aestimatio	7
Aetas	7
Affinitas	7
Agnatio	8
Alienatio	8
Alter. Alius. Tertius	9
Alternativum . . .	11
Ambignum. Dubium. Obscurum . . .	12
Amittere ius s. rem .	14
Apocha	14
Appellatio	14
Aqua. Aquaeductus. Aquaehaustus . .	15
Arbiter	15
Arbor	15
Beneficium. Liberalitas	15
Bona. Res familiaris	17
Bona fides v. Fides.	
Bonorum possessio .	18
Calumniari. Calumnia	18
Capitis deminutio . .	18
Casus	18
Causa	19
Cautio v. Satisdatio.	
Cessio	19
Civitas. Respublica .	19
Clam. Palam v. Palam.	
Codicilli	20
Cogitatio	20

	pag.
Cognatio	20
Collegium v. Universitas.	
Commendatio . . .	20
Commoda. Incommoda. Onera. Periculum	21
Commodatum . . .	21
Commorientes v. Mors.	
Communio v. Societas.	
Compensatio . . .	22
Concursus actionum, delictorum . . .	22
Conditio	23
Conductio v. Locatio.	
Confessio	24
Confirmatio	25
Confusio	25
Connexa	25
Connubium	25
Consanguinitas . .	25
Consensus v. Voluntas.	
Consequentia. Exemplum	26
Consilium	27
Constitutio principis	27
Consuetudo	27
Consumtibile v. Res consumtibiles.	
Contra bonos mores v. Turpe.	
Contractus. Pactum	28
Contrarium	30
Contumacia . . .	30
Convalescentia negotiorum	31
Corporale v. Res corporales, incorporales.	
Creditor	31
Crimen. Peccatum .	32
Culpa	32
Cura. Curator . .	33
Damnum. Lucrum .	34
Debitor	35
Debitum	36
Decipere v. Fraus	
Defensio. Defensor .	36
Delegatio debiti . .	37
Delictum	37
Demonstratio . . .	38
Depositum	38
Detestatio	38
Dictum v. Vox.	
Dies	38
Difficultas	39
Documentum. Instrumentum	40
Dolus	40
Domicilium	41
Dominum. Proprietas. Dominus	42

pag.

Domus 43
Donatio 43
Dos 44
Dubium v. Ambiguum.
Emancipatio . . . 45
Emtio. Venditio . . 46
Error. Ignorantia . 48
Exceptio 49
Exemplum v. Consequentia.
Exhibere 51
Existimatio 51
Expressum 51
Factum 51
Femina. Uxor . . . 52
Fictio 53
Fideicommissum . . 53
Fideiussio. Fideiussor 53
Fides bona, mala . . 55
Filius v. Pater.
Fiscus 55
Flagitium v. Maleficium.
Flumen 56
Formae mutatio . . 56
Forum v. Iudex.
Fraus. Fraudare. Decipere 56
Fructus 56
Fundus. Solum. . . 57

pag.

Fungibile v. Res fungibiles.
Furor. Furiosus . . 58
Furtum. Fur . . . 58
Genus v. Species.
Glans 59
Hereditas. Heres . 59
Honestum 62
Ignorantia v. Error.
Immobile v. Res immobiles.
Impensae 62
Imperitia 63
Impossibile 63
Improbitas v. Malitia.
Impubes. Pupillus . 64
Incommoda v. Commoda.
Incorporale v. Res corporales, incorporales.
Inculpata tutela . . 65
Indebitum 65
Infans 66
Infitiatio 66
Ingratitudo 66
In integrum restitutio v. Restitutio in integrum.
Iniuria 67
Innocens. Nocens . . 67

pag.

In solidum 67
Instrumentum v. Documentum.
Interesse 68
Interpretatio . . . 68
Interventio 69
Inutile v. Vitiosum.
Invitus v. Voluntas.
Iocus 69
Iracundia 70
Iter. Actus. Via . 70
Iudex. Iudicium. Iurisdictio. Forum . . 70
Iudicatum v. Res iudicata.
Iurisdictio v. Iudex.
Iurisprudentia . . . 72
Ius 72
Ius civile 75
Ius gentium . . . 75
Ius honorarium . . 75
Ius naturale 75
Ius publicum. ius privatum 76
Iusiurandum . . . 76
Iussus 77
Iustitia 78
Lacus. Stagnum . . 78
Legatum 78
Lex 79

pag.

Liberalitas v. Beneficium.
Liberi. Parentes . 81
Libertas. Liberi homines 82
Licitum 83
Lis. Litis contestatio 83
Litora. Ripae . . . 84
Locatio. Conductio . 85
Locus 85
Lucrum v. Damnum.
Lumen. Prospectus 86
Maius v. Plus.
Mala fides v. Fides.
Maleficium. Flagitium 86
Malitia. Improbitas. 86
Mandatum. Procurator 87
Mater 88
Media. Finis . . . 89
Medicus 89
Merx 89
Metus 90
Miles 90
Minores. Puberes . . 91
Minus v. Plus.
Mobile v. Res mobiles, immobiles.
Mora. 91
Morbus. Vitium . . 92
Mors. Mortui. Commorientes . . . 92

	pag.
Mutuum	93
Nasciturus	93
Navis	94
Necessitas	94
Negligentia . . .	95
Negotium. Actus .	95
Nocens v. Innocens.	
Nolle v. Voluntas.	
Novatio	97
Novi operis nuntiatio	97
Noxa	97
Nuptiae	98
Obligatio	99
Obscurum v. Ambiguum.	
Occupatio	101
Officium	101
Onera v. Commoda.	
Ostentum	102
Pactum v. Contractus.	
Palam. Clam . .	102
Par	102
Parentes v. Liberi.	
Pars. Totum . . .	102
Partus	102
Pater. Filius . . .	103
Patria potestas v. Potestas.	
Pauperies	103
Peccatum v. Crimen.	
Peculium	103
Pecunia traiectitia .	104
Pendens	104
Periculum (v. Commoda).	
Persona	104
Petitio	104
Pignus. Hypotheca	105
Plebs. Plebiscitum	107
Plus. Maius. Minus	107
Poena	107
Pollicitatio. Votum .	108
Portio hereditaria .	109
Possessio	109
Postliminium . . .	112
Potestas. Patria potestas	112
Praeceptor	113
Praedium	113
Praescriptio. Usucapio	113
Praesumtio . . .	116
Praevaricatio . . .	117
Precarium	117
Pretium	118
Princeps	118
Principale. Accessorium	118
Privati. Res privatae	118
Privilegium . . .	119

	pag.
Probatio	119
Procurator v. Mandatum.	
Prodigus	120
Proprietas v. Dominium.	
Proprium v. Suum.	
Prospectus v. Lumen.	
Puberes v. Minores.	
Pupillus v. Impubes.	
Quaestus	120
Rarum	120
Ratihabitio . . .	121
Ratio iuris	121
Receptum	122
Reddere v. Restituere.	
Regula	122
Remedium	122
Renunciatio . . .	122
Repetitio	122
Replicatio	123
Repudiatio . . .	123
Res	124
Res (causa) communis, par	126
Res consumtibiles .	124
Res corporales. incorporales . . .	124
Res divini iuris . .	125
Res familiaris v. Bona.	
Res fungibiles . .	125
Res iudicata . . .	126
Res mobiles, immobiles	125
Res nullius	125
Responsa prudentum	127
Respublica v. Civitas.	
Res simplices, compositae	126
Restituere. Reddere	127
Restitutio in integrum	127
Reus v. Actor.	
Ruta caesa . . .	128
Satisdatio. Cautio .	128
Scriptum. Scriptura	128
Senatusconsultum .	129
Sequester	129
Servitus	129
Servus. Servitus .	130
Silva	132
Simulatio	132
Societas. Socius. Communio	132
Solidum v. Insolidum.	
Solum v. Fundus.	
Solutio. Solvendo esse	134
Species. Genus . .	135
Spolium v. Vis.	
Sponsalia. Sponsus. Sponsa	136

	pag.
Stagnum v. Lacus.	
Stipulatio	136
Subscriptio	137
Successio. Successor	137
Superficies	138
Superfluum. Abundans	138
Suum. Proprium .	139
Tacere	139
Tempus	140
Tertius v. Alter.	
Testamentum . . .	140
Testis. Testimonium	143
Thesaurus	144
Tignum	144
Timor v. Metus.	
Totum v. Pars.	
Transactio	144
Turpe. Contra bonos mores	145
Tutela. Tutor . .	146
Universitas. Collegium	147
Usucapio v. Praescriptio.	
Usurae	148
Usurpatio	148
Usus	149
Ususfructus . . .	149
Utilitas publica, communis	150
Uxor v. Femina.	
Venditio v. Emtio.	
Verba v. Vox.	
Veritas	150
Via v. Iter.	
Via publica . . .	151
Vicinus	151
Vis. Spolium . . .	151
Vitiosum. Inutile .	152
Vitium v. Morbus.	
Voluntas. Consensus. Invitus. Nolle .	152
Votum v. Pollicitatio.	
Vox. Verba. Dictum	155

LIPSIAE:
Typis Gressner & Schramm.

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKE

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRAR

K
435
F76
1880
c.1
ROBA

Frommelt, F
Regulae iuris.

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 15 14 15 01 012 9